НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

VI-33



IMPERATORVM
ROMANORVM
NVMISMATA
AVREA

A Julio Caesare ad Heraclium continua serie collecta et edita ex Musæo Excell^mi Principis CAROLI CROYI *Ducis Arschotani &c. Industria et manu Iacobi de Bie in æs incisa: et à* IOANNE HEMELARIO *Canonico Cath. Eccl. Antuerp. breui et Historico* COMMENTARIO *explicata.*

ANTVERPIÆ,
Apud Petrum et Ioannem Belleros A°. M. DC. XXVII.

IMPERATORVM ROMANORVM

à IVLIO CÆSARE ad HERACLIVM vsque

NVMISMATA AVREA

Excellentissimi nuper dum viueret

CAROLI

DVCIS CROYI ET ARSCHOTANI, &c.

magno & sumptuoso studio collecta:

nec minore fide atque arte IACOBI DE BYE

ex archetypis in æs incisa:

Opera autem atque industria IOANNIS HEMELARII

Canonici Cathedralis Ecclesiæ Antuerp.

breui & Historico Commentario explicata.

Editio altera priore auctior.

ANTVERPIÆ

Apud Petrum & Ioannem Belleros.

M. DC. XXVII.

Cum Gratia & Priuilegio.

1946

ILLVSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
ALEXANDRO CROYIO
CHIMAIO ARENBERGIO
Chimacensi & S. R. Imperij
PRINCIPI
Comiti Bellimontis, Domino Auennensi, &c.
Aurei Velleris Equiti
& pro Regia Ma.te legionis Germanicæ
Tribuno, &c.

PRodit iteratâ editione, & per secundas curas locupletius hoc *Numismatum aureorum* opus ab Excellentissimo nuper CAROLO CROYIO Duce Arschotano auunculo vestro, magno olim antiquitatis studio maximoque sumptu per continuam seriem collectorum ac digestorum, ad eiusdemque Principis mandatum historico per me Commentario explicatorum. Quod quidem argumentum cum

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

nuper ad Excell. tuam, vt è domo veſtrâ profectum, ſummo iure deſtinatum, eiuſque clariſſimo nomini feliciter dicatum fuerit, tantoque commendatum patrocinio non veniam ſaltem, aut & plauſum apud ſtudioſum veteris hiſtoriæ Auguſtæ lectorem inuenerit, ſed & Ex.tiæ tuæ ita gratum fuiſſe apparuerit, vt (quæ eſt eius benigna in clientes humanitas) inſigne etiam, per litteras ad me ſuper ea re datas, affectus ſui teſtimonium eidem reddere non ſit dedignata; piaculum vtique foret, ſi ad alium quempiam poſtliminio patronum deflectere meditaretur. Quæ quidem etiamſi ceſſarent cauſſæ, pro eâ tamen, quæ veſtræ eſt in Belgicis nobiliſſimæ familiæ dignitas, quodque in illâ ſemper floruit, magnificentiæ eruditæ, & pretioſioris elegantiæ dignum viro Principe ſtudium, quæque inſuper in Ex.tia tuâ prædicatur generoſæ mentis, & ad ſumma natæ præſtantia & virtus; non alteri quàm tali, & quidem ALEXANDRI nomen non titulo magis quàm virtute animique magnitudine præferenti, Imperatoriorum hoc Symbolorũ Syntagma donandum dedicandumque veniebat. Nota eſt Excellentiſſ. familiæ veſtræ tum paternæ tum maternæ erga Regiam Maieſtatem domi & militiæ, mari terraque dubiis in rebus & ſumma fides, & felix opera infinitis probata periculis: pro quâ quoque, & orthodoxâ fide contra hæreticos & perduelles tuendâ auus tuus claræ mem: IOANNES LIGNYVS Princeps Arenbergius ſanguinem & vitam profundere non eſt cunctatus. Cæterorum in Rempublicam merita hîc recenſere vt infinitum & ſuperuacuum, ita importunum foret. Quæ quidem generoſiſſimo animo tuo identidem felici recordatione obuerſantia, ſtimulos ei ad omnem virtutem animique magnitudinem ſuggerunt; vt quod Aſcanio olim Poëta monitum accinuit;

Sis memor, & te animo repetentem facta tuorum
Et pater AEneas & auunculus excitet Hector;

idem Excell. tuæ dictitatum ſcriptumque, atque ab eadem feliciter obſeruatum videri poſſit. Accipe igitur, Excell.me Princeps, rediuiuum hoc obſequij noſtri pignus, auunculi tui Principis, inclytæ memoriæ renouatum monumentum, hiſtoriæ Auguſtæ compendium, non verbis magis, quam imaginibus

bus emblematibuſque adumbratum, meamque in hoc opere conficiendo tum debitam mandato tanti Principis obedientiam, tum ad cetera, quæcúmque noſtræ tenuitatis eſſe poterunt, obſequia in ſimili alióue argumento libenter & fideliter præſtanda promptitudinem acceptam gratámque habeas rogo. Ita Deus Ex.tiam tuam ſoſpitet, atque clarum huic Belgio quandóque deſtinatum columen, ad multos porro felices annos florentem & ſuperſtitem conſeruet. Ita voueo

Ex.tiæ tuæ

humilis cliens
IOAN. HEMELARIVS
Canon. Cathed. Eccleſ.
Antuerpien.

AD

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

REi Romanæ THESAVRVM, CAROLI inclyti DVCIS CROYI inſigni nuper munificentiâ erutum, ſub auſpiciis Illmi Principis Chimacenſis ALEXANDRI CROII CHIMAII ARENBERGII in lucem damus, Verè nulli ſecundum THESAVRVM, ſiue metalli pretium, ſiue antiquitatis monumentum æſtimamus. Alterum fortunæ munus eſt, alterum ſolius æternitatis conſcientiâ imbutus animus complecti poteſt. Igitur quâ curâ, quantiſque regiæ liberalitatis impendiis, ipſis quoque imperij ſui temporibus ſuſpiciendus numiſmatum cumulus, ſub HEROIS CAROLI manu creuerit, nil attinet ab iis referri qui neglectâ cortice incomparabilis beneficij medullam perſequuntur. Hiſtoriam temporum teſtem, æternitatis æmulam, nulla ætas, poſtquam homines ad humanitatem exire cœperunt, aut condere neglexit, aut prædicare prætermiſit. Vſu enim comperiebant, ſine huius luce, altis ſæcula tenebris inuolui, virtutum priorum occumbere laudes, vitiorum condi deteſtanda pericula. Magnis itaque Gentibus, ingeniiſque præcipuè hæc cura cordi ſemper fuit, vt ea omnia accuratis inſcriberentur annalibus quæ ſine futurorum hominum detrimento perire non poterant. Ab Ægyptiis hoc artificium cœpit, qui rudes adhuc, multarum rerum ſimulachra in ſubſidium vocare, beſtiiſque & piſcibus, aliiſque hieroglyphicis temporum ſuorum ſignare memorias aggreſſi ſunt Necdum enim diuini inuenti ſcriptiones apices ſerieſque innotuerant,

quibus mox in compendium aduocatis, mirum, ab exiguo litterarum ſemente quanta ingeniorum luxuries proximâ Græciam peruaſerit. Quaſi enim mutuis auxiliis ad æternitatem adſpirarent, pulcherrimis ſumma ingenia factis ſollicitabantur, aptaque ſempiternis præconiis ingenia corporum animorumque virtutibus excitandis efficaciſſimè operabantur. Sed non diu ſine aduerſario præſtantiſſimum ſtare ſtudium potuit; & quaſi ſe poſtliminio vindicare obliuio inſtituiſſet, perire optimorum opera auctorum poſſe, & breue intra tempus occidere, quæ in ſpem æternitatis genita erant, compertum fuit. Nam licet in excelſiſſimorum Regum tutelam libri confugiſſent; & Vetuſtas abolere codices, & exiguâ ortum ſcintillâ incendium operoſiſſimas bibliothecas cõſumere poterat. *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arſerunt*, inquit Seneca, *pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum*. Aduerſus tantæ iniuriæ calamitatem generoſiſſima primum Græcia circumſpicere artes ſuas cœpit, & cum nihil æque eminentiſſimos viros quam ſempiternæ memoriæ ardor inflammaret, omnibus adminiculis ſe ſuaque ad poſteritatem tranſmittere ſategerunt. Itaque & Statuarum ſimilitudines, & pictorum elegantias vultibus factiſque adhibuerunt; ſcilicet vt ſi legendi ſubſidia deficerent, quæ ſpectari poterant monumenta ſupereſſent. Poſtremo tandem, primario tamen inuento, excogitatum fuit hiſtoriam oculis ſimulque auribus tradere, iiſque inſcribere inſtrumentis ſine quibus humanæ ſocietatis commercia cõſiſtere, aut propelli neceſſitates non poſſunt. Nummi vſum vetuſtas prima cum habere cœpiſſet, æs graue circumferre, & diuitiis pondera, ſub quibus ingemere mortales debebant, ſapienter aſſignare voluit. Sed vt facile à maiorum rite inſtitutis poſteri deficiunt, aut eorum rudibus inuentis aliquid adiiciunt, à Græcis Siculiſque ortus nummus, vti Varro

ro teſtatur, vel à Numa Rege numus, vti arbitratur Tranquillus, formæ vſuſque facilitatem ſub Seruio Rege primùm accepit, & quia is Ouium Boumque effigie primus æs ſignauit (vti cognominis eius teſtatur Grammaticus) pecuniæ nomẽ tunc quoque ortum eſt. Ecce inuentum, quo neque ab initio vllum ferè minus, neque incrementis ad maiorem elegantiam & imperiorum temporumque gloriam proceſſit. Deinceps enim nihil domi foriſque aut Græca vel Romana Reſpublica geſſit, quod non Orbi ſæculiſque ſpectandum legendumque numiſma exhibuerit. Nam Reges, Conſulatus, Senatuſconſulta, Iani clauſas apertaſque fores in nummis leges: & poſtquam in Romanâ re ad vnum cuncta conferri omnium interfuit, longo ordine venientes Principes, dein captas reſtitutaſque prouincias, victorias vel triumphos non deſiderabis. Si quis Religionem Principis populi noſſe amat; hîc pietas picta eſt, & ſacrorum omnium ritus deſignantur. Quæ ſtatuæ fuerint, hinc elucent, quæ vaſa, Aræ, Ædes, quæ litandi ratio, quæ templorum facies, quis Augurum lituus, quæ Pontificum veſtis, quotque Sacerdotia: qui ludi ſæculares, quorumq; in iis animalium ſpectacula, quæ Ancilia Martis, ſpoliorum ex hoſte dedicatio, funerum varietas, & poſt mortem honores delati Principumque Apotheoſis, quos ipſorum iudicio & ritu, aut virtus propria, aut ſucceſſorum adulatio conſecraret. Si Belli ſtudia placent: hîc vexilla exercitus, Sacramenta militum, Prætoriæ cohortes, legionum globus, equitum ordo, ſociorum auxilia, caſtrorum ratio, armaturæ modus, Imperatorum iuſſa concioneſque. Sin Belli finis quæritur: & hiſce numiſmatibus Victoriæ laurus inſitæ ſunt: Coronæ ciuicæ, Obſidionales, Murales, Roſtratæ: Arcus triumphales, Victarum gentium, Regumque effigies & ſpolia: Bigæ, Quadrigæ, Pardorum, Leonum, & id genus animalium coniuges currus:

 efficta

effícta fluminum, prouinciarum, ferarumque ſimulachra: dicata ſecuritati publicæ, felicitati Temporum, æternitati rerum templa viſuntur. Denique quicquid de potenti ac primario populo celebrari potuit, aut de tãtis rebus geſtis ignorari à poſteris haud decebat, in æternis numiſmatum tabulis ſeruatur. Incluſum itaque nummis nobile fuiſſe Hiſtoriarum opus, & quod ſolum, etiamſi reliqua præclariſſimorum ingeniorum monumenta intercidiſſent, ſtare aduerſus annorum edacitatem, temporumque iniurias potuiſſet, ſat ſuperque confirmaui. Supereſt vt præſentis ad voluminis vſum conuerſus adfirmem, hoc ipſum exiguâ mole complecti quæ plurimis veterum in commentariis variè ſparſimque notata vix obſerues. Fruere ergo Lector his antiquitatis imaginibus, & curam ama, quæ iis colligendis ab Excell.^mo quondam Duce CAROLO ARSCHOTTANO impenſa eſt. Numiſmata enim omnia tanti viri diligentiæ & generoſæ elegantiæ debemus, exceptis tantum, quæ aſteriſco notata inſeruimus, beneficio Nobiliſs. viri, & litterarum amantiſſimi NICOLAI ROCCOXI Equitis aurati, & ſæpiùs apud Antuerpienſes Conſulis, qui ea inter plurima, in agro Meſpelardenſi apud Teneramondam, à ruſtico caſu reperta, pridem ſelegit operique noſtro benignè conceſſit. Sed neq; in his aureis dandis ſubſiſtere intendimus, Argentea & Ærea à Iulio Cæſare ad Heraclium numiſmata mox ſequentur, Illuſtriſsimi Principis Chimaicenſis permiſſu, qui CAROLI DVCIS auunculi ſui Virtutum vt bonorum heres, iiſdem decoribus & elegantiis oblectatur. Interim hæc in anteceſſum accipe Lector, & ſi conatum noſtrum benigno fauore proſequeris, etiam illa propediem expecta.

IVDOCI

IVDOCI DE VVEERDT. Synd. Antuerp.

DE HAC

AVREORVM NVMISMATVM EDITIONE

ELEGIA.

CAEſareos quondam vultus calauit & artus
ROMA triumphatrix, dum caput orbis erat.
Aurea materies; tamen ars præſtantior auro,
AEmula naturæ, prodigioſa fuit.
Inuidit ſæclis iſtam venientibus artem
Rerum tempus edax, & carioſa dies.
Ergo fœda ſitu iacuit neglectaq;, multis
Obruta puluеribus, ſemiſepulta diu:
Nulla vetuſtatis reuerentia, nulla metalli
Cura fuit, nullus ſedulitatis amor.
Tandem ſyderibus fati melioribus ætas
Sera, priore magis prouida, gnara, ſagax,
Priſca requiſiuit nouitq;, numiſmata, quondam
Attica quæ tellus, quæq; Latina dedit.
Cognita tunc veterum & laudata induſtria, Numus
Tunc fuit in precio, qui precioſus erat.
Hunc emit, gemmis, Pactoli ac prætulit auro,
Qui ingenio & genio nobiliore fuit:

 Præcipuè

Præcipuè Dux CROIACVS, *quem ſtemmate clarum*
Regali, ornauit Martis, & artis amor.
Martis, & artis amor, lauros, & ab hoſte trophæum
Cui dedit, & variâ laude perenne decus:
Aurea collegit ſignata Numiſmata, priſco
Induperatorum tempore Romulidum,
Quæ ciſtis incluſa diu iacuere, nec vlli
Cognita, ſed ſoli conſpicienda DVCI.
Donec & hæc, & quæ Muſæa ſecreta recondunt,
Protulit artificis ingenioſa manus.
Sicut apis, ſaltus ac florida rura pererrans,
Colligit in variis Attica mella fauis,
Explicat occultos HEMELARI *induſtria ritus*
Ingenij clarâ iudicijq́; face.
Dignum opus hoc cedro, dignum grauiore cothurno,
Dignum Phœbæo carmine, voce, lirâ.
Quiſquis amat mores, ritus, ac facta Quiritum,
Cui placet & rarâ nobilis arte labor,
Hunc librum inſpiciat, legat, admiretur & artem,
Quâ veterum ſollers ars patet, artificum.

IN

IN
OPVS NVMISMATICVM
EXCELLENTISS.
DVCIS ARSCHOTANI.
Schediaſma
IVSTI RICQVII CIVIS ROMANI.

QVantus in Argolicis plauſus memoratur Athenis
Aurea cùm feſto redeunt Quinquennia luſtro,
Omnes cùm flauæ tendunt in Palladis Arcem,
Qui Pandioniis vicinos ſedibus agros,
Actæoſque tenent colles, bimariſque Corinthi
Mœnia, quique vnctas Spartanâ lege Paleſtras;
Cernere Palladiis vbi fas radiantia Peplis
Prælia Terrigenûm, domitosque à Gorgone Diuæ,
Qui prius Oſſæis certabant æthera ſaxis
Subdere, & excuſſum terris confundere Olympum.
Omnia ſanguinei quæ fas in ſindone cocci
Cernere, & intextos cælo ſuperante Triumphos.
Hæc ibi Tænario Pater ipſe accingit oliuo
Tempora victricis Natæ Saturnius, atque
Aurea diuinæ modulantur carmina Muſæ
In laudes Dea ſancta tuas, aurêæque fragorem
Cuſpidis, & fuluâ metuendos caſſide crineis.
Parte aliâ inſignis citharâ, fidibuſque canoris
Cynthius, in longâ pugnacem veſte ſororem
Concelebrat, ſociiſque adſpirat numina Muſis.
Tali ô nunc cuperem, Princeps clariſſime, plauſu,
Talibus atque hymnis meritas ad ſidera laudes
Ferre tuas, dignáſque comis adnectere lauros,

Quas

Colligeret refugos ignota in ſcrinia numos,
Necnon gnara manus, doctiſque laboribus apta
BIÆI inciſas æri mox ſiſteret Aras,
Ritus, Vaſa Numæ, & priſcæ veſtigia Romæ.
Mira fides! Plutus diu lumine caſſus, in auro
Nunc oculos centum ceu Lynceus Argus adoptat
Qui cæci ante Midæ inſanas errauit ad arces
Nunc ſedet ille ſophon gremio, Phœbíque Theatro
Spectat, honorato ſpectandus & ipſe metallo,
Et docto loquitur facunda ſilentia vultu,
Dardanidum antiquos muto vt canat ære triumphos.
Nec ſatis hoc; PRINCEPS CHIMAIIVS vbere cornu
Belgiadum populis munus hoc miſſile numos
Ad Scaldim ſpargit: num fit de Principe Cæſar?

à GVILIELMO BIÆO
I. C. Antuerp.

IN

IN NVMISMATA AVREA

Edita

Ex Muſæo Illuſtriſſ. & Excellen.mi Principis

CAROLI CROYI DVCIS ARSCHOTANI

ET

Notis illuſtrata

A R.do & CL. Viro

D. IOANNE HEMELARIO

Canonico Antuerp.

VLtus Cæſareos, pompas, delubra, triumphos
Quondam metallo expreſſerat
Roma, hominum genitrix pariter genitrixq; Deorũ,
Priſcis ſtetit dum legibus.
Omnia tempus edax ſed penè abſumpſerat, atro
Telluris occulta in ſinu.
Non tulit hoc veteris cultor DVX CROYIVS *æui,*
Vindexq; dignus Cæſarum.
Qui toto quærens ſelecta Numiſmata mundo
Nullis pepercit ſumptibus:
Diſpoſuitq; ſuo digeſtos ordine Vultus
Famâ atque geſtis inclytos.

Mox

Mox opus hoc variè Nummis ſuppleuit & auxit,
Flandro repertis in ſolo,
Aduaticæ nouies Conſul ROCCOXIVS *Vrbis,*
Maioribus clarus ſuis.
Acceſsit, Nomen cælo qui ducit ab alto,
Facundus HEMELARIVS:
Nummorumq́, notas dubias, ſenſuſq́, latentes
Hic pandit atque enucleat.
Ergo CROYIACO *debetur Ciuica quercus,*
Et non minus ROCCOXIO,
Qui cæcâ Auguſtis dudum tellure repoſtis
Reddunt diem: HEMELARII
Conſpicuum caput exornet ſed Delphica laurus,
Senſus recludit qui abditos.

ALBERTVS RVBENIVS
PET. PAVLLI F. acci-
nebat.

IMPE-

IMPERATORVM
HVIVS OPERIS
ORDO.

Vlius Cæſar	Tab. 1	Alexander	39
Auguſtus	2.3	Maximinus	39
Tiberius	4	Maximus	39
Druſus Germ.	4	Gordianus Afric.	49
Germanicus	5	Pupienus	40
Caius Caligula	5	Balbinus	40
Claudius	6.7	Gordianus	40.41
Nero	7.8.9	Philippus	41
Galba	10	Philippus F.	41
Otho	10	Decius	42
Vitellius	10	Meſ. Decius	42
Veſpaſianus	11.12	Hoſtilianus	42
Titus	12.13	Treb. Gallus	42
Domitianus	13.14	Voluſianus	43
Nerua	14	Æmilianus	43
Traianus	15.16.17	Valerianus	43
Hadrianus	18.19.20.21	Valerianus F.	44
L. Ælius	22	Gallienus	44
Antoninus Pius	23.24.25	Salon. Valerianus	44
M. Aurelius	27.28.29	Poſthumus	45
L. Verus	32	Victorinus	45
Commodus	33	Aureolus	45
Hel. Pertinax	34	Quietus	46
Did. Iulianus	34	Tetricus	46
Peſc. Niger	34	Claudius	47
Clodius Albinus	34	Quintillus	47
Sept. Seuerus	35	Aurelianus	47
Geta	35	Tacitus	48
Antoninus Caracalla	36	Florianus	48
Macrinus	36	Probus	48
Anton. Diadumenianus	37	Carus	48
Anton. Elagabalus	37.38	Carinus	49

Numerianus 48
Diocletianus 49
Maximianus 49
Conſtantius 50
Gal. Maximian. 50
Maximinus 50
Seuerus 50
Maxentius 51
Conſtantinus 51
Licinius 52
Licinius F. 52
Criſpus 52
Delmatius 52
Conſtantinus 53
Conſtantius 53.54
Conſtans 55
Iulianus 55
Magnentius 56
Decentius 56
Iouianus 56
Valentinianus 56
Valens 57
Valentinianus Iun. 58
Gratianus 58
Mag. Maximus 59
Theodoſius 59
Eugenius 60
Arcadius 60
Honorius 60
Priſcus Attalus 61
Iohannes 61
Pla. Valentinianus 61
Marcianus 61
Leo 62
Lib. Seuerus 62
Iul. Nepos 62
Auguſtulus 62
Zeno 62
Anaſtaſius 63
Iuſtinus 63
Iuſtinianus 63
Iuſtinus 64
Tib. Conſtant. 64
Mauricius 64
Focas 64
Heraclius 64

AVGVSTARVM NOMINA.

ANtonia 45
Agrippina German. 5
Agrippina Claudij 7
Plotina 15
Matidia 18
Sabina 22
Fauſtina Ant. Pij 26
Fauſtina M. Aurelij 30.31
Lucilla 33
Manlia Scantilla 34
Iulia Pia 35
Iulia Mæſa 38
Iulia Mamæa 39
Paulina 39
Marcia Otacilla 41
Mariniana 43
Salonina 44
Seuerina 47
Helena 50
Fauſta 52
Æl. Flaccilla 60

AVER-

AVERSORVM NVMISMATVM SYLLABVS.

ABundantia Aug. 38.49
Aduentus Auguſti 37
Africæ 19
Aduentus Auguſti Galliæ 20
Aduentus Auguſti Italiæ 20
Aduentus Auguſti Mauretanię 19
Ægyptus 1.19
Æquitas 35
Æternitas Auguſti 21.41
Æternitas Imperij 35
Æternitas Temporum 26
Africa 19.35
Alamannia 51
Alexandria 19
Alimenta Italiæ 17
Amor mutuus Augg. 40
Anchora cum delphino 31
Ancilia 23
Apollo Conſeruator 43.44
Apollo Propugnator 43
Aquila ſignum Conſecrationis. 25.44
Aquila ſignum Militare 2.14
Arabia 15
Arcus triumph. de Germ. 4
Arcus triumph. de Britt. 6
Armenia 2.29
Rex Armen. datus 17.32
Aſia 19
Baſilica Vlpia 16
Bigæ Elephant. 26
Bigæ Læonum 26
Bigæ Mularum 26
Cappadocia 19
Capricornus 3.10
Caſtra Prætoria 6.50
Centaurus 44
Ceres 02
Chriſti Nomen 51.62
Clementia 27
Clypeus Votiuus 2.54,56.59
Clypæus Chriſtianor. 60
Concordia 30.31
Concordia Augg. 32.44.52
Concordia Militum 58
Concordia Romanorum 58
Conſtantia Auguſti 5.6
Columna Antonini 25
Columna Roſtrata 13
Columna Traiani 17
Conſecrationes 25.26.31.19.43.44
Conſeru. vrb. ſuæ 51
Cornucopiæ 13.16.25
Corona Ciuica 5.6.10.15
Crocodilus 1.19.20
Crux 61.62.63
Currus triumph. 2.4.15.24.37.39
Dacia 16.42
Danuuius 16
Dardanicus 15
Decurſio 9
Diana Epheſ. 6
Elagabalus 37
Equeſtris Statua Aug. 3
Equeſtris Statua Claudij 6
Equeſtris Statua Hadrian. 18.21
Equeſtris Statua L. Veri 32
Fecunditas Auguſtæ 30
Felicitas Aug. 20
Felicitas Pub. 38
Felicitas Sæculi 45
Felicitas Temporum 37

Felicia

Felicia Tempora 51
Felix Temporum reparatio. 53.55
Fides Exercituum 38
Fides mutua Augg. 40
Fortuna Auguſt. 11.12
Fortuna redux 17
Forum Traiani 16
Francia 51
Fulmen 13.23
Fundator Pacis 35
Gaudium Romanorum 51
Genius Aug. 8.16.17
Genius Pop.Rom. 51
German.ſpolia 4
Germania 14.20
Gloria Exercituum 55
Gloria Reipublicæ 54
Gloria Romanorum 58
Hercules Comes Aug. 49
Hercules Gaditanus 20
Hercules Romanus 33.48
Hilaritas 27
Hippopotamus 19.41
Hiſpania 10.20
Honos 28
Iani Templum 9
Indulgentia Pia Poſtumi 49
Inſtrumenta Religionis 1.8.14.27
Inſtrumenta Militaria 16.29
Iudæa capta 11
Iulij Cæſ.Templum 2
Iulij Cæf.Statua 2
Iuno Lucina 30
Iuno Martialis 42
Iuno Regina 22.34
Iuppiter Conſeruator 52
Iuppiter Cuſtos 9
Iuppiter Opt.Max. 1
Iuppiter Stator 40
Iuppiter Tonans 2
Iuppiter Victor 46.48
Iuuentus 27
Iuuentas 27
Labarum Chriſtianorum 56.57
Lætitia 24.46
Libertas 15.56
Libertas reſtituta 10
Liberalitas Aug. 24.33.37.40
Libero Patri conſeruatori 44
Luna Lucifera 45
Mars Gradiuus 11
Mars Victor 48
Mars Vltor 3
Matri Caſtrorum 11
Matri Magnæ 31
Minerua 14
Minerua Victrix 36
Munificentia Aug. 25
Neptunus 21
Neptun.redux 21
Nilus 19.20
Nobilitas 35
Noua Spes Reip. 60
Palma 11
Pannonia 22
Pannoniæ 42
Pauo 26.31
Pax 25. æterna 39.49
Pax Auguſta 6.7.12.25
Pax Orbis terrarum 3
Pax perpetua 3
Parthorum ſpolia 2
Pegaſus 4
Phœnix 55
Pietas 1.18.22.23.24.33.42.44
Prouidentia Aug. 39.45

Proui-

Prouidentia deorum. 23.34.36.47
Prouidentia Senatus 14
Primi decennales 29
Princeps Iuuentutis. 2.4.37.39.58
Profectio Aug. 32
Prudentia Aug. 42
Pudicitia 33.42
Puellæ Fauſtinianæ 26
Quadrigæ Elephantorum 3.25
Quadrigæ Equorum 4.26.37
Quadrigæ Solis 50
Rector Orbis 34
Reparatio Reip. 59
Rhenus 45
Roma æterna 20.40.45.47.48
Roma inuicta 61
Vrbs Roma 62
Romulus & Remus 13.21
Romulo conditori 18
Reſtitutor Achaiæ 19
Reſtitutor Africæ 19
Reſtitutor Galliæ 26
Reſtitutor Orbis terrarum. 19
Reſtitutor Reipublicæ 56.57.59
Reſtitutor Vrbis 35
Sacerdos Solis 37
Sacerdos diui Aug. 4
Sacrificium 17.43
Salus Auguſt. 9.23.29.30.32
Salus Generis humani 2
Salus Prouinciarum 46
Salus Reipublicæ 52.60
Sarmat. Spolia 29
Sæculares Aug. 41
Sæculum nouum 42
Sæculi Fælicitas 45
Sæculo Fecundo 43
Securitas Aug. 10.20
Securitas Reip. 50
Spes Aug. 13.20.21
Spes Bona. 34
Spes Pop.R. 20
Spes Publica. 46
Sol Comes Aug. 50
Sol Conſeruator Aug. 37
Sol Inuict. 46
Tellus Stabil. 18
Tiberis. 28
Temporum Felicitas 47
Templum Æternitatis 26
Templum Diui Auguſti 25
Templum Dianæ Epheſ. 6
Templum Diui Iuli 3
Templum Iani 9
Templum Iouis Tonantis. 2
Templum Iunonis Martial. 42
Templum Martis vltoris. 3
Templum Pacis perpetuæ 3
Templum Romæ æternæ 47.51
Templum Deæ Segetiæ 44
Templum Veſtæ 9.13
Templum Volkani. 43
Traiectus Aug. 41
Tranquillitas Aug. 25
Tripos 16
Trophæum German. 39
Trophæum Gothor. 47
Trophæum Nauale. 3
Vas Frument. 4
Venus Felix 44
Venus Genetrix 30
Venus Victrix 1.31
Veſta 9.9.12
Veſtalis 7
Veſtæ Templum 9.13
Via Trajana 19

Quod

Quod Viæ munitæ sunt 3
Victoria Æterna 51
Victoria Antonini 38
Victoria Britan. 34
Victoria Constantini 51
Victoria DD.NN.Aug. 55.59
Victoria Germanica 36
Victoria Gothica 47
Victoria Maxima 5
Victoria Orbi insistens 2.49
Victoria Parthica 29.36
Vitulus 21
Vota Suscepta 17
Vota Publica 26.33.55
Vota Decennalia 40
Votis v.mult.x. 51.56.59
Votis x.mult.xx. 57
Votis xxx.mult.xxxx. 54.59
Ob Victoriam triumphalem 55
Victoria Augg. Libertas Romanorum 56
Virtus Aug. 8.28.46.49.54
Virtus Herculis 49
Virtus Illurici 49
XV.Vir.sacr.fac. 10

FINIS.

INDEX RERVM,

PRÆTER SINGVLORVM

IMPERATORVM ELOGIA,

breuiter hoc opere explicatarum, siue annotatarum.

Numeri apposíti signant pæginas Commentarij.

A.

Abundantia Augusti. 119.135.170
Achaiæ restitutor. 58
Æternitas dea. 65.77. 132
Æternitas Imperij. 108
Ægyptos. 57
Æquitas. 107
Africa. 56. eadem cum scorpione. ibid.
Agrippina Augusta Coloniam in Vbiis deduxit. 23
Alexandria. 57
Alimenta Italiæ. 50
Alamannia deuicta. 184
Annus Natiuitatis Christi. 13
Anubis Deus. 200
Ancilia scuta. 71
Annona Augusti. 142.164
Annonæ copia. 34.35
Angelus cũ Cruce loco Victoriæ gentilium. 232.233.238.239
Apollo conseruator. 143.146.167
Apollinis scemate Nero. 27.29
Apollo propugnator. 144
Arabia deuicta. 47
Arcus Traiano positus. 49
Armeniæ spolia. 13.90
Armeniacus. 99
Asia minor. 58
Auctor nomen suum solo anagrammate in prima editione posuit. 245
Augusti Statua sacra. 28

B.

Basilica Vlpia. 47
Britannorum spolia. 28

C.

Caius Agrippæ fil. Augusti Nepos. 8
Cappadocia. 58
Carpentum. 18
Caduceatores. 21
Castra Prætoria. 20
Capricornus Augusti, & Vespasiani. 36
Ceres. 26.67.86.122
Columna Cæsari posita. 7
Columna rostrata Augusti. 40

Columna Traiana. 51
Clementia Dea. 52.84
Columna Antoniniana. 78
Clypeus votiuus. 8
Clyp.Honorarius. 24.36.201
Clypeus Vulcanius Ænææ. 4
Commodus conditor Vrbis. 102
Corona ciuica. 12.19.21.24.91
Concordia.68.70.85.93.96.100.128
Concordia Augustorum.149.157. 187.213.218
Concordia exercituum. 44.163
Concordiæ & pacis abundãtia. 14
Congiarium. 26.103
Consecratio Impp. 53.78.79
Consecratio Augustarum. 82.96. 97.126.145
Conseruator Vrbis. 180
Constantiniana Daphne. 196
Constantini M. corona gemmata. 196
Cornu copiæ. 41
Corona triumphalis.198. Votiua. 208
Christi character hieroglyphicus. 237.240
Crucis signum Constantino ostẽsum. 193
Crux Christi globo imposita, deuicti per eam orbis symbolum. 219
Crux hastata de dracone Trophæum. 228
Crux gemmata. 232
Crux in corona laurea. 216
Curator Italiæ. 155
Cynocephalus Deus. 200

D.

DAcia capta. 49.137
Danuuius,& Pons Traiani in eo. 49
Dardanicus. 41
Decursio equestris. 28
Dexteræ iunctæ fidei tessera. 76
Eædem symbolum Concordiæ. 87.149. & amoris mutui. 139
Diuis Imperatoribus templa dedicari solita. 11
Dianæ Ephesiæ templum. 20
Diuina in Diocletianum vindicta. 171
Dorsualia tauri ornati ad sacrificium. 3

E.

ELagabalus, seu Sol Deus. 114
Idem, Sol oriens. 116
Idem, Deus montis. 117
Emblema pacatæ Reipublicæ. 4

F.

FAx Cereris. 26
Faces sacrificiorum. 17
Faustina Augusta. 92
Faustina Diua. 80
Faustinæ carpentum. 81
Eiusdem æternitas. 81
Faustinianæ puellæ. 80
Felicitas dea. 91
Felicitas temporum. 114
Felicitas publica. 122
Felicitas seculi. 153

Felicia tempora. 183
Felicium temporũ reparatio. 197
Felicitas Augusti quare per triremem expressa. 63
Fecunditas Augustæ. 93
Festina lentè, symbolum Augusti, & pòst Manutiorum. 39
Fides exercitus. 119
Fides mutua Augustorum. 129
Fides militum. 189
Fortuna Dea. 45
Fortuna redux. 34.50
Fortuna Augusti. 97. 153. 160.
Augusta. 35
Francia deuicta. 185
Fulmen cuius symbolum. 70

G.

GAlliæ restitutor Hadrianus. 59.& Constans. 195
Gaudium Romanorum. 184.185
Germania stans. 59
Germaniæ spolia. 16.22.42.111
Genius Augusti. 25.47.50
Genius populi Romani. 52.178
Gloria Romanorum. 194. 207
Gloria Reipublicæ. 194. 207
Gloria exercitus. 196

H.

HAdrianus quare restitutor Orbis. 55
Hadriani per Nilum nauigatio. 62
Hercules imberbis.45. Gaditanus. 60. Romanus conditor. 102. Romanus. 187
Densionensis. 150. Comes Augustorum. 172
Herculis Virtus. 173
Herculis tituli Varij. 172
Hispania. 30.60
Honos. 86
Hilaritas Dea. 84.94
Hieroglyphicus character nominis Christi. 182

I.

IAnus clausus. 29
Iaculum vtraque parte acutum. 115
Indulgentia pia. 150
Iouis tonantis templum. 9
Iouis varij tituli in numis. 171
Imperatoris titulus. 6
Imper.sacrificans. 142
Indulgentia pia. 150
Iupiter stans. 66. 111. Stator.132. Custos.153.29.Conseruator.153. 171.189. Victor. 157. Traiani protector. 48.51
Iuliani odium in Christum. 199
Iudæa capta. 33
Iuno. 121
Iuno Regina. 66.105. Lucina.93. 94. Tyria.109. Martialis. 140
Iuuentus, & Iuuentas dea. 83. 101
Iustinianus templum S. Sophiæ erexit. 256

L.

LAbari etymon. 7. descriptio. 205. à Iouiano restitutum. 193. item à Valentiniano. 204
Lætitia Dea. 73. 156
Laurea Iulij Cæsaris. 3
Laurea votis pub. dicata. 101. 191
Lectisternium Iunoni & Mineruæ. 40. 41
Liber Pater conseruator Augusti. 146
Liberalitas Augusti. 74. 75. 131. 135
Libertas publica. 23. Restituta. 31. 46
Liberator Romanorum. 202
Ludi seculares remotis gentilium ritibus. 224
Luna Lucifera, seu Diana. 108
Lucilla Veri. 100
Lupa Romuli. 42. 64

M.

MAgistratuum numerus auctus à Iulio Cæs. 5
Mars Vltor, & eius Templum. 14. Gradiuus. 34. Victor. 167
M. Aurelij expeditio in Parthos. 88
Matidia socrus Hadriani. 53
Mater Castrorum Faustina. 95
Mater magna. ibid.
Maximiani Herculei exitus. 172
Mercurius. 87. Pacifer. 157
Mercurius Martyr creditus percussor Iuliani. 199
Memoria æterna M. Aurelij Claudij. 159
Minerua M. Aur. Antonini tutelaris. 84
Minerua Victrix. 110
Munificentia seu editio Munerum. 77
Musa, seu Polyhimnia. 87

N.

NEro auriga. 30
Neptunus. 65. Nept. redux. 39
Nilus. 57
Noctua Palladis. 25
Nomina deorum in tesseris militaribus. 5
Nobilitas. 109
Nobilissimus Cæsar. 169

O.

ONocephalus Deus Ægypti. 200
Optimus Princeps Traianus. 44. 45
Oriens Augusti. 48. 162
Orator Potentissimus Numerianus. 170

P.

PAganus quis. 192
Pallas armata. 43. 84
Parazonium. 26
Parthis Rex datus. 52
Pannonia. 68. 138
Pax perpetua. 69. eius tẽplum. 13.
Pax Augusta. 20. 23. 35. 38. 75. 124. 125. æterna. 169
Pacis fundator. 106
Pater Patriæ. 10. 73. 219
Pedum Episcopale qua forma. 239
Pegasus. 15
Pauo in consecratione Augustorum. 53
Pietas. 1. 18. 33. 53. 69. 85. 100. 101. 113. 138. 141. 149
Phœnix. 197
Pons Hadriani, hodie S. Angeli. 64
Pons Aureoli. 154
Profectio legionum. 8. Augusti. 98
Prouidentia Deorum. 104. 112. 161. Augusti. 126. 151
Prudentia Augusti. 154
Pudicitia. 100. 138

Q.

QVadriga triumphalis. 15. 46. 72. 90. 124

R.

REctor Orbis. 105
Restitutor Vrbis. 107
Reipublicæ. 207. 209. 210. 216
Rex Armenis datus. 99
Reparatio Reipubl. 217
Roma. 29. 66. Æterna. 61. 127. 152. 159. 161. 164. 180
Roma inuicta æterna. 225
Roma Vetus & Noua. 194
Romulus conditor Vrbis. 54

S.

SApientia Principis Prouidentiss. 184
Sabina Augusta Hadriani vxor. 67
Sacerdotium insignia. 2. 25. 44
Salus Dea. 30. 71. 94. 98. 120
Salus generis humani dictus Augustus. 7
Salus Augustorum. 90. Prouinciarum. 151
Salus Reipub. nomen Christi. 222
Sæculares ludi. 134. 136
Sæculum nouum. 140
Segetia. 147
Segestis vel Segesta. 148
Sella Iouis capitolini. 62
Securitas dea. 32
Securitas Augusta. 62
Secur. Reipublicæ. 176
Sol. 114. Sol inuictus. 155. Oriens. 116. Comes. 177
Spes. 41. Spes publica. 157. 168. 175. Augusta. 63. Spes pop. Rom. 61.
Spes bona. 104
Spes noua Reipubl. 223
Spolia de Parthis. 12. 42. De Sarmatis. 91
Stella crinita Cæsaris. 10

T.

TAurus Statilius. 37
Tellus stabilita. 54. Turrita. 105
Templum Augusti. 18. commune Romæ & Augusto. 9. 76. 140
Theodosij laus. 217. eius miraculosa Victoria. 221
Tiberis. 88
Tribunitia potestas Impp. 15
Trophæum nauale. 11. de Germanis. 88

Tripus

Tripus Apollinis. 32
Traiani forum. 48. Via. ibid.
Templum 50. eiuſdem columna. 51
Tranquillitas Auguſti. 76
Traiectus Auguſti. 133

V.

VBertas. 47
Venus victrix. 4. 95. 92. Genitrix. 93. Felix. 148
Velandi caput ritus in ſacrificiis. 2
Veſta-Veſtalis. 22. 28. 40. 67
Viarum munitio. 12
Victoria alata. 2. 6. 90. Sedens. 16. Gradiẽs. 31. 120. 169. 71, 92. 95. 196. Stans inter duos angues. 31. Æterna. 179. Maxima. 215
Victoria Britannica. 106. Parthica. 110. Gothica. 159. 167. Auguſti. 182. 215. Auguſtorum. 190. 191. 194. 209. 210. 218. 219. 223. 225. 226. 234. 235. 236. 237
Victoria orbem cruce ſignatum portans. 229. 230
Virtus militum. 175
Virtus militaris. 26. 27. 85. 87. 121. 155. 211
Virtus Auguſtorum. 157. 177. 212. 214. 222
Virtus Herculis. 173. Illyrici. ibid.
Virtus Cæſarum. 174
Volkanus Deus. 144
Vota pro ſalute Impp. 12. Publica. 101. Decennalia. 130. 208. Vicennalia. 180
Vrbs Roma. 331

Z.

Zeno Iſauricus. 232

FINIS.

TABVLA PRIMA.

C. IVLII CÆSARIS NVMISMATA CONTINET.

A quo formâ Reip. Romanæ immutatâ Conſulare duorum imperium annuum in vnius Principis potentiam & auctoritatem perpetuam conceſsit: non abrogatis tamen Conſulibus, quem Magiſtratum & ipſi Imperatores ſæpiuſcule egerunt, & candidatis ſuis deſignatiſq; detulerunt, ſiue deferri curauerunt. A Iulio itaque Imperatorum Romanorum ſeries initium ducit.

ITERÆ & notæ primi Numiſmatis ſic leguntur: CAIVS CÆSAR CONSVL TERTIVM. Incidit hic Iulij conſulatus in annum ab Vrbe conditâ IↃCC. VII. collegâ M. Æmilio Lepido, cùm Cæſar anno præcedente deuicto in Pharſaliâ Pompeio Tribunitiam poteſtatem cum annuâ dictaturâ in perpetuum vſurpare cepiſſet. Signum Numiſmatis, caput muliebre velatum, Deam refert, Pietatem nempe, cuius imaginem totam ſacris operantis vide infrà tab. XXII. XXIII. & XXXIII. Eſtque velo tectum eius caput, ſiue quod eo habitu aliarum plerumque fingi ſolet Dearum gentilium, ſiue ob ritum ſacrificiorum, quibus præeſt: quo capita ſacrificaturi velabant, de quo ritu Plu-

A tarchus:

tarchus: *Romani*, inquit, *Deos adeuntes velato capite numina venerari solent, hoc signo animi demissionem professi. Itaque & relati inter Diuos, inter mortales eo habitu submissionem præ se ferunt*: quem & morem Virgilius tangit Æneid. III.

Et positis aris iam vota in litore solues
Purpureo velare comas adopertus amictu.

Qui ritus & infrà tab. XXXVII. & alibi exhibetur. Extat similis æreus Tiberij apud Æneam Vicum cum inscriptione, PIETAS. Voluit gratitudinis ergò Iulius Victoriam de Pompeio partam diis acceptam ferre, & pietati suæ Imperium partum adscribere. quò alludit Horat.

Diis te minorem quòd geris, imperas.

AVLVS HIRTIVS PRÆTOR. Lituus, augurum insigne, quo plagas cœli, seu regiones partiebantur, cùm auguria obseruarent: vrceolus, & securis victimaria: quæ instrumenta sacrificij, & sacerdotiorum insignia erant apud Romanos, de quibus Guiliel. Choul. lib. de Religione Veterum Romanorum, aliique. Indicat Iulij sacerdotalem in variis collegiis dignitatem. vt infrà tab. VIII. XXVII. XXXVII. & alibi.

CAIVS CÆSAR DICTATOR TERTIVM. Caput est Victoriæ, propter alas affictas. alioquin Veneris esse potuisset comis in nodum, vt infrà hac tabulâ, substrictis. Estque iste numus cuius anno post Pompeium superatum. Designat Victoriam, de eo partam pugna Pharsalicâ.

LVCIVS PLANCVS PRÆFECTVS VRBI. Vas esse putant, quod præfericulum, Festo auctore, dicebatur, fictile libando in sacrificiis vino vsurpatum. quod apud Guilielmum Choul alibi ex antiquis marmoribus ornatiore formâ expri-



exprimitur. Sed ſimpliciora ſacrorum fictilia iam à Numæ Pompilij inſtituto obſeruata venerationem ab antiquitate trahebant. Plures autem dicti obſeruantur Præfecti Vrbis, vel in Vrbe, etiamſi vicariam tantùm gererent præfecturam: vt notat Illuſtr. Card. Baronius.

CÆSAR DICTATOR QVARTVM. Caput C. Cæſaris laureatum, cum lituo augurali. De laureâ Cæſaris coronâ Sueton. c. XLV. *Caluitij*, inquit, *deformitatem iniquiſſimè tulit, ſæpè obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. Ideoque & deficientem capillum reuocare à vertice adſueuerat, & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoque honoribus non aliud aut recepit aut vſurpauit libentiùs, quàm ius laureæ perpetuò geſtandæ.* Porrò Iulio inter cæteros honores ab obnoxio iam Senatu decretos & iſtum fuiſſe, *vt pecunia eius imagine ſignaretur*, notat Dio lib. XLIV.

IOVI OPTIMO MAXIMO SACRVM. Ara eſt corollis, verbenarum fortè, ornata accenſum habens ignem, adſtante in victimam candente tauro: & infra popæ ſeu victimarij culter ad iugulandum: in dorſo tauri ſunt phaleræ ſeu dorſuale, vt vocat Trebellius Pollio in Gallienis. *Proceſſerunt* (inquiens) *centum albi boues, cornibus auro virgatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes.* Inter cornua mitræ genus eſt, quo victimæ ornabantur. Ritum ſacrificij apud Guil. Choul videre eſt expreſſum ex marmoribus antiquis, libro de Veteri Romanorum Religione.

Sequitur aliud IVLII caput laureatum ſine inſcriptione.

LVCIVS BVCA. Globus eſt, caduceus, ſecuris, & ſci-

pio, siue fuscinula aut calamus, siue fascis vt Æneas Vicus putat, seu potiùs, vt doctissimo Patri Andreæ Schotto Soc. IESV Theologo placet, virga ex fascibus Magistratuum, & iunctæ dexteræ. Emblema denotare videtur, Orbis terrarum Imperium in pace, concordiâ, felicitate & legum securitate stabilitum. Globus enim orbem, caduceus pacem, securis & virga legum & iustitiæ vigorem, dexteræ concordiam & fidem designare solent. L. Æmilius Buca præfectus rei monetariæ fuit, quia alibi inscribitur idem, Buca *triumuir auro argento ære flando feriundo.*

ÆGYPTO CAPTA. Crocodilus animal amphibium Nilo flumini, quod Ægyptum proluit & fecundat, familiare, ac proprium. Designat Victoriam Cæsaris de Cleopatrâ. Estque animal tessera ipsius prouinciæ.

CÆSAR DICTATOR PERPETVO. Iulius est laureatus & velatus instar sacrificantis. Designat Iulij pietatem in Deos ob victoriam Pharsalicam, quam præfert auersa Numismatis facies, opimis sacrificijs contestatam: fortè an & Pontificatus Maximi dignitatem, hoc habitu sacrorum expressit, quam competitoribus clarissimis viris Iulius consecutus fuit.

CAIVS MARIDIANVS. Veneris Victricis imago, dextra victoriolam præfert, sinistra ingentem clypeum: auguror istum designari, quem Virgilius Æneid. VIII. describit à Vulcano fabricatum, & à Venere Æneæ donatum auctori Iulianæ familiæ, hisce versibus:

Ingentem Clypeum informant ☞unum omnia contra
Tela Latinorum, septenosque orbibus orbes

Im-

Impediunt. Et paulò post, vbi arma à Venere Æneæ donantur, ipsum miratum dicit;

Hastamq; & Clypei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumq; triumphos
Haud ☞vatum ignarus, ☞venturiq; inscius æui
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, &c.

quæ pulcherrimis plus centum versibus prosequitur Poëta ab Ænea ad sua vsque tempora, in honorem Augusti & Iulij Cæsaris.

Infra clypeum orbis est terrarum veluti sub armis Iulij, deuicto Pompeio succumbens. Fuit enim in prælio Pharsalico Cæsaris tessera *Venus ☞victrix*, vt Pompeij, *Hercules inuictus*, sed ibi malo fato Hercules Veneri impar visus. Exstat similis numus Plaucillæ (quæ Caracallæ coniunx) vbi Venus simili schemate exprimitur adiuncto Cupidine, cum inscriptione, *Venus ☞victrix.*

Porrò veteres in præliis numinum, quæ tutelaria habebant, nominibus libenter pro tesserâ vsos in omen victoriæ variis locis obseruatur. Fuit autem *C. Cossutius Maridianus* triumuir monetalis, cùm alio Numismate eius nomen exstet his adscriptis notis. A. A. A. F. F. id est auro, argento, ære flando, feriundo. putant eum fuisse fratrem Cossutiæ Iulij Cæsaris primæ vxoris.

QVINTVS VOCONIVS VITVLVS QVÆSTOR DESIGNATVS. Vitulus hic Voconij cognomen ostendit. Cæsar Magistratuum numerum auxerat, vt faciliùs præmia illis persolueret, qui ciuili bello operam nauauerant; adeò vt Quæstores XL. creauerit, Prætores verò XIV. vt auctor est Dion. Lib. XLIII. ex quâ turbâ videtur Voconius Vitulus. Nam cum imperio illum fuisse, indicat Cicero Epist. ad Atticum

ticum lib. VIII. epist. XXIII. *Sed memento præter Appium, neminem esse ferè qui ius non habeat transeundi: nam aut cum imperio sunt, vt Pompeius, Scipio, Setenas, Fannius, Voconius, Sextius.*

TABVLA II.

Continet Numismata AVGVSTI *à* IVLIO *auunculo adoptati, eiusq; honores gratitudinis ergò diuulgantis.*

CÆSAR IMPERATOR. Augustus in quadrigâ triumphali, dextrâ frenum seu lora, sinistrâ lauri ramum præferens. currus insculptus victoriis. Imperatoris autem titulus dupliciter apud Romanos sumi solet, aut generali appellatione pro Duce exercitus, qui auspiciis propriis rem gerit: aut speciali, pro eo qui hostibus magno prælio fusis fugatis per militum suorum acclamationem huius nominis honore adfectus esset, & deinde eodem auctus approbante Senatu. Et sic frequenter in numis & inscriptionibus legimus; Imper. II. III. *&c.* quod significat toties eôs hunc honorem re benè gestâ accepisse. De victoriis & triumphis Augusti Sueton. in vitâ, & alij.

Sequitur AVGVSTI caput purum, collo nudo sine inscriptione.

IMPERATOR CÆSAR. Victoria alata. pingitur autem eo habitu, quia momento aduolans aut auolans, curam amat vt obtineatur, & celeritatem etiam in bellicis facinoribus. quod Horatius innuisse videtur, Sermon. 1. lib. 1. vbi militiæ laudatorem introducit, hoc argumento:

Militia est potior: quid enim? concurritur: horæ
Momento aut cita mors venit, aut Victoria læta.

Orbi

Orbi insistit, dextraque lauream, velut iam primùm Augusti capiti paratam, porrigens: vt orbis ac rerum Domino felicibus præliis facto. sinistrâ vexillum militare attollit, siue labarum antiquum: quod describitur fuisse: *Vexillum aliis nobilius, ante Imperatorem gestari, & à militibus adorari solitum*. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, labarum dictum tradit apud Latinos, *ab eo quod laborum soluendorum vim habeat, quod principatum quoque in reliqua omnia vexilla teneret:* quod posteà Constantinus Magnus viuificæ crucis & Christi nominis tesserâ à se insignitum maiori quoque in veneratione haberi procurauit, vt infrà ad tab. LIII. dicemus.

SALVS GENERIS HVMANI. Stat columna solida adfixum ferens clypeum, in quo hæ litteræ, CL. V. designant Votiuum clypeum, id est votis nuncupatis, seu persolutis ritè dedicatum. superuolat Victoria lauream corollam ferens. Fortè an hæc illa sit columna, de quâ Sueton. in Cæsare, cap. LXXXV. *Plebs in honorem defuncti* (IVLII) *solidam columnam propè viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque* PARENTI PATRIÆ. *apud eamdem longo tempore sacrificare, vota suscipere, controuersias quasdam, interposito per Cæsarem iureiurando, distrahere perseuerauit.* Exstat autem & hæc inscriptio, SALVS GENERIS HVMANI, apud Æneam Vicum in aureo, apud Goltzium in argenteo Augusti numismate in coronâ ciuicâ. fortè vt per adulationem designet eum iuuenem velut cœlitùs datum ad salutem totius humani generis. Porrò Augustum etiam typum gessisse Saluatoris nostri, vt & ante ipsum Cyrum Persarum Regem, Cardinal. Baronius in Annal. Eccles. obseruat. Cuius Domini nostri natalem numi hac inscriptione cusi anno V. C. ıɔcc. xix. annis xxxiii. præcessisse colliguntur ab Adolpho Occone,

Occone, tanto ſcilicet exactè tempore, quanto illi in terris videri, & Salutis noſtræ procurandæ prouinciam obire cœleſti prouidentiâ & benignitate complacitum fuit.

Sequitur AVGVSTI iuuenis caput laureatum, ſine aliâ inſcriptione.

CÆSAR AVGVSTVS. SENATVS P. Q. ROM. *Clypeus Votiuus* inter duos lauri ramos. De clypeis iſtis votiuis, qui voti causâ ſiue in Capitolio, ſiue in templis, ſiue alibi in publico clarorum virorum honori dedicabantur, & ſæpe vultum eorum expreſſum continebant, Plinius lib. XXXV. cap. III. *Suorum verò clypeos in ſacro vel publico priuatim dicare primus inſtituit, vt reperio, Appius Claudius, qui Conſul cum Seruilio fuit anno* V. C. CCLIX. *Poſuit enim in Bellonæ æde maiores ſuos, placuitq; in excelſo ſpectari, & titulos honorum legi.* Diſtinguunt autem nonnulli grammatici, Clipeum per i, volentes eum eſſe pugnatorium à clepere id eſt celare, Clupeum verò imaginem à cluendo. alij in genere diſtinguunt, vt Clypeum ſit vultus, Clypeus ſcutum. Auctores tamen veteres ferè confundunt, vt notauit Caſaubonus in notis ad Hiſtoriam Auguſtam. Ramos autem iſtos lauri, putem eſſe ſymbolum triumphi ducti, ſiue eos quibus poſtes Imperatoris ornabantur, vel quos poſt triumphum in terrâ pangebant.

CAIVS CÆSAR AVGVSTI FILIVS. Caij Agrippæ filij ex Iuliâ nati, & ab auo Auguſto adoptati profectio in Armeniam cum ſignis legionum & cohortium. In hac expeditione poſt colloquium cum Rege Parthorum in Euphratis inſulâ habitum, & Armeniam, quæ ad Parthos defecerat, recuperatam, regemque ei Ariobarzanem datum in

in Italiam rediens obiit in Lycia, incertum an ex vulnere, quod acceperat, an morbo, an Liuiæ dolis & veneno. Vide latiùs Suetonium & Dionem.

CÆSAR AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum proiectiore iam ætate.

IOVI TONANTI. Templum Iouis tonantis, & in medio adſtans Iuppiter cum fulmine & haſtâ. *Suetonius cap.* XXIX. *Ioui tonanti ædem conſecrauit liberatus periculo, cùm in expeditione Cantabricâ per nocturnum iter lecticam eius fulgur perſtrinxiſſet, ſeruumq; prælucentem exanimâſſet.* De hoc epitheto Tonantis, Horat. carm. lib. III.

Cœlo tonantem credidimus Iouem
Regnare.

Quâ Horatius Odâ Auguſti laudes tractans, ad huius templi honorem ab eo Ioui delatum reſpicere videtur, ac ſi inſinuaret: Credidimus Iouis tonantis maieſtatem vel Cæſare præeunte, templo ei hoc titulo dicato.

COMMVNITATES ASIÆ. Templum eſt in quo virgo cum Cornucopiâ, dextrâ manu videtur Auguſti capiti coronam imponere. In frontiſpicio, inſcriptio eſt: ROMÆ ET AVGVSTO. Suetonius in Tiberio cap. LII. *Templa quamuis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen Prouincia niſi communi ſuo Romæq; nomine recepit, nam in vrbe quidem pertinaciſſimè abſtinuit hoc honore.* Dion tamen auctor eſt lib. LI. Auguſtum permiſiſſe Aſiaticis, vt ſibi templa ponerent Pergami, & Nicomediæ.

CÆSAR AVGVSTVS DIVI FILIVS PATER PATRIÆ.

Diui filius dictus post consecrationem Iulij patris adoptiui, Pater Patriæ decreto Senatus.

CAIVS, LVCIVS, CÆSARES AVGVSTI FILII, CONSVLES DESIGNATI, PRINCIPES IVVENTVTIS. Numus signatus honori & memoriæ Caij & Lucij Cæsarum defunctorum, quorum hic imagines togatorum, id est in viros adscriptorum, cum singulis hastis, & scutis lituoque & simpulo. Dio libro LV. *Corpora C. & Lucij Cæsarum à Tribunis militum Romam apportata sunt, parmæque & hastæ, quas aureas ab equitibus acceperant, in curiâ suspensæ sunt.* Tacit. lib. 1. Annal. *Nam genitos Agrippâ Caium & Lucium in familiam* CÆSARVM *induxerat, necdum positâ pueritiâ prætextâ,* PRINCIPES IVVENTVTIS *appellari, designare* CONSVLES *specie recusantis flagrantissimè cupiuerat.* Sueton. in Augusto. *C. & L. adoptauit domi per æs & libram emptos à patre Agrippâ, teneroque adhuc ad curam reipub. admouit, &* CONSVLES DESIGNATOS *circum prouincias exercitusq; dimisit.*

TABVLA III.

Adhuc Augusti.

DIVVS IVLIVS. Stella crinita. Sueton. in Iulio cap. LXXXVIII. *In Deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium sed & persuasione vulgi. Si quidem ludis, quos primò consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam: creditumque est animam esse Cæsaris in cœlum recepti, & hac de causâ simulachro eius in vertice additur stella.* De hoc Virgilius eclog. IX.

Daphni

Daphni quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uua colorem.

& Æneid VIII. de Auguſto.

Geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumq; aperitur vertice ſidus.

DIVO IVLIO. Templum Iulio iam diuo poſitum, cum acroteriis ſuis, & ſtellâ. In medio Iulius ſellâ curuli ſedens cum lituo & lauru. Tale templum deſtinat Virgil. Georg. III. Auguſto.

Et viridi in campo templum de marmore ponam,
In medio mihi Cæſar erit, templumq; tenebit.

Seu potiùs templum iſtud ſit Veneris, vbi Statuam Patris Auguſtus dedicauit. Dio lib. XLV. *Ceterùm ſtella quædam quotidie inter ſeptentrionem & occaſum apparuit, eamque cometem vocantes nonnulli ea portendere dicebant, quæ aliàs huiuſmodi ſignum ſequi conſueuiſſent. Creditum quidem hoc à plebe eſt, ſed tamen Cæſari eam, immortalitatem nimirum iam adepto, inque* SIDERVM *numerum allecto, ſacram eſſe dixerunt. Eâre Cæſar Auguſtus animo confirmato,* STATVAM PATRIS ÆREAM *cum ſtellâ ſupra caput in* VENERIS *templo poſuit.*

POPVLI IVSSV. Statua equeſtris Auguſto poſita.

IMPERATOR CÆSAR. Tropheum nauale eſt, victoriæ ad Actium promontorium partæ, ex ſpoliis M. Antonij & Cleopatræ. De quâ Sueton. in Auguſto cap. XVII.

IOVI VOTIS SVSCEPTIS PRO SALVTE CÆSARIS AVGVSTI SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. Corona quernea, seu ciuica in honorem Augusti, & pro salute eius Ioui, votis publicis, suspensa, seu dicata. Dio. lib. XLVIII. *Postquam deuictis Bruto & Cassio Imperium Cæsar Antoniusque inter se partiti sunt, Antonius in Asiam, Cæsar in Italiam cursum conuertit. In itinere ac nauigatione Cæsarem morbus tantâ vi afflixit, vt iis qui Romæ erant, mortis quoque suæ opinionem præberet: sed existimantes ij non tam infirmitate detentum, quàm mali aliquid molientem moras nectere, sibi omnia quæ possent accidere mala præsagiebant: quamuis & absenti, cum alios qui solent victoribus honores decreuissent, tum, vt quotannis supplicationes eius nomine haberentur.*

QVOD VIÆ MVNITÆ SVNT. Arcus triumphalis, & in eo currus seu biga elephantorum, supra pontem Tiberis positus. *Sueton.* cap. XXX. *Ad coërcendas inundationes alueum Tiberis laxauit, ac repurgauit, completum olim ruderibus & ædificiorum prolapsionibus coarctatum. Quò autem faciliùs vndique vrbs adiretur, desumptâ sibi Flaminiâ viâ Arimino tenus muniendâ, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecuniâ sternendas distribuit.* Dio l. LIII. *Itaque arcus triumphalis super ponte Tiberis ei Arimini positus, quòd triumphalium virorum opus & cura concurrisset.*

DE PARTHIS. Tiara, pharetræ, & arcus regis Parthorum, Phraatis putem, qui se Augusto submiserat. Horat. 1. epist. XII. ad Iccium. XVIII.

Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res;
Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit, ius imperiumque Phraates
Cæsaris accepit genibus minor.

Colligit

Colligit Adolphus Occo hoc anno natum Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM: anno scilicet Vrb. Cond. IↃ CCLI. Olympiadis C XC IV. anno IV. Sed de exactâ supputatione temporis nati Saluatoris, vt & de mortis anno variæ sunt discrepantesque Chronologorum hodieque sententiæ, vt aliis in rebus minùs necessariis sæpè dissentire mirandum minimè videatur.

ARMENIA CAPTA. Armeniorum arcus & pharetræ exspoliis & victoriâ auspiciis Augusti, Claudij Neronis priuigni eius ductu, de illâ gente partâ, vt numo præcedente.

ARMENIA CAPTA. Signum capricorni, quod est vnum ex Zodiaci signis, in quo sol Decembri mense versatur. orbem pede premit, & suprà est cornu copiæ. Sueton. cap. XXI. *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facilè cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.* Item cap. XC IV. *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt thema suum vulgauerit, numumque argenteum*, imo & hunc aureum, *notâ sideris capricorni, quo natus est, percusserit.*

PACI PERPETVÆ. Templum Pacis, cum acroteriis suis, & arâ mediâ. Sueton. cap. XXII. *Ianum Quirinum semel atque iterùm à conditâ vrbe ante memoriam suam clausum, in multo breuioris temporis spatio*, TERRA MARIQVE PACE PARTA *tertiò clausit.*

PAX ORBIS TERRARVM. S. P. Q. R. Orbis inter duos oleæ ramos, in symbolum pacis vniuersalis, siue lauri sint, in tesseram pacis bellicis victoriis partæ.

MARTIS VLTORIS. Templum & in medio eius Mars Vltor signa militaria tenens. De hoc idem ille sæpiùs iam laudatus. Sueton. cap. XXIX. *Publica opera plurima exstruxit, ex quibus vel præcipua forum, cum æde Martis Vltoris. Et paulò infrà. Ædem Marti bello Philippensi, pro paternâ vltione suscepto, vouerat.* Sunt autem hæc signa militaria ea, quæ Parthi, erepta pridem Crasso, & Antonio, Augusto restituerunt. Dio libro LIIII. narrat Phraaten Parthorum Regem bellum à Romanis metuentem signa militaria, & captiuos omnes Augusto remisisse, eaque Augustum, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepisse, & magnæ id sibi laudi duxisse, addens: *Itaque & sacrificia eius rei causa, & templum Martis Vltoris in Capitolio ad imitationem Iouis Feretrij, quo signa ea militaria suspenderentur, decerni iussit, ac deinde perfecit.* Horat. Epist. XIX. lib. I. hoc præcipuè velut elogio memorabili periphrastice Augustum describit, dum ait:

Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit,
Et nunc si quid abest, Italis adiudicat armis.

id est, sub Augusto.

TABVLA IV.

Continet Numismata TIBERII CÆSARIS, DRVSI, & ANTONIÆ.

PONTIFEX MAXIMVS. Caduceus cum duplici Cornucopiâ. defuncto Lepido, Augustus Cæsar Pontifex Maximus creatus, quæ dignitas mox Imperatoriæ perpetuò adnexa fuit. Caduceus autem Cornucopiæ coniunctus, ex Concordiâ & Pace, omnium rerum abundantiam prouenire significat.

TIBE-

TIBERIVS CÆSAR, DIVI AVGVSTI FILIVS, AVGVSTVS. Caput Tiberij laureatum. Diui filius dicitur, quia ab Augusto adoptatus, & numus iste signatus post Augusti apotheosin: anteà dictus, *Tiberius Claudius Nero*, Augusti priuignus.

PONTIFEX MAXIMVS. Liuia vt putatur, Tiberij mater, deæ habitu cum hastâ purâ & lauru sedens. Alibi similis Augusti numus exstat, inscriptus, DIVA AVGVSTA. Honorem matri defunctæ defert, cuius arte imperij hæres factus est.

IMPERATOR VII. TRIBVNITIA POTESTATE DECIMVM-SEPTIMVM. Id est, anno Imperij XVII. Solent enim Imperatores quotannis renouare tribunitiam potestatem, cum Tribunis eius anni, vt apparet ex Onufrij fastis, & Dione lib. LIII. idque ex eo tempore, quo Iulius Cæsar eam perpetuò vsurpauit. Ipse Tiberius triumphali quadrigâ vectus, dextrâ laurum tenet, sceptrum, & in summo eius aquilam, sinistrâ. Iuuenal. Satyr. x. de habitu triumphantis, addit inter insignia:

Da nunc & volucrem sceptro quæ surgit eburno.

Triumphus est ob victoriam Rheticam, Vindelicam, & Pannonicam. *Sueton.* cap. IX. *Quas ob res omnes, &c.* IMPERATOR SEPTIMVM. titulus honoris, iam septimò Principi de fusis fugatisque hostibus, ab exercitu delatus.

Sequitur Pegasus, sine inscriptione. Africæ typus est, de quo latiùs vide Goltzium in Augusto, Tabulâ XXXV.

TRIBV-

TRIBVNITIA POTESTATE VIGESIMVM-SEXTVM. Victoria insidens orbi, siue globo stellato, diadema, siue, vt in aliis exprimitur, sertum manibus tenens, ad Imperatoris caput eo insigniendum. Quòd sphæræ cœlesti insidet; intelligi potest, aut victoriam cœlestem, siue cœlitùs partam, aut cœlo terrâque diffusam: quòd sedet, non fugacem, sed stabilem & duraturam. vigesimo-sexto Imperij anno, siue vt alij, XXV. partam.

NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMPERATOR. Laureata Drusi effigies, illius qui ita Germanis terrori fuit, vt etiámnum nomen eius ad imprecationem mali, & terrorem incutiendum prouerbio Germanico vsurpetur. Is Pater fuit Germanici, auus Caij Caligulæ, Tiberij frater, & Liuiæ filius ex Tiberio Claudio Nerone. GERMANICI cognomen victoriis maximis de Germanis partis meruit, & decreto Senatus id ipsi posterisque eius concessum, teste Suetonio.

DE GERMANIS. Vnus idemque arcus (vt reor) anticâ & posticâ parte duobus numis expressus: in cuius summitate spolia Germanorum, & in medio Drusus equo sedens, prout ouans vrbem est ingressus, equoque decurrens, & hastam ferens, quomodo in expeditione se gesserat. In cornibus singulis singula trophæa, & captiui, manibus post terga reuinctis: quem ritum Iuuenalis tangit Satyr. x.

Et summo tristis captiuus in arcu.

De hoc arcu Suetonius. *Et Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum trophæis viâ Appiâ decreuit.*

DE GERMANIS. Spolia lecta, scuta scilicet & spicula, tubæque

tubæque cum vexillo in signum victoriæ, & Trophæum de Germanis deuictis.

ANTONIA AVGVSTA. Facies Antoniæ, quæ vxor Drusi, & M. Antonij III. viri filia, AVGVSTÆ titulo à Caio Imp. nepote cohonestata.

SACERDOS DIVI AVGVSTI. Duæ faces cum corollis, vt & infrà tab. sequ. Symbolum functionis sacerdotalis ad modum Vestalium, & diuinitatis Augusti. Seruius ad illud Virgilij Æneid. IX. *Intenditque locum sertis*. dicit, *matronas olim sacrificaturas faculas tenentes circa aras ferri solitas*. De honoribus diuinis Augusto post mortem delatis Suetonius, & alij. Idem numisma vide Tabul. v. sequenti numero III.

TABVLA V.

Continet ANTONIÆ, GERMANICI & C. CÆSARIS CALIGVLÆ, *vultus.*

CONSTANTIÆ AVGVSTI. Figura muliebris stans in gradu, & facem siue facium thecas pluresinuicem insertas dexterâ, sinistrâ cornucopiæ tenens. Siue Augusti virtutem designare voluit, cui hæc Antonia sacerdos, siue ipsam sacerdotem habitu virtutis: imaginem Constantiæ, pietate in diuos, & abundantiâ subnixam expressit.

ANTONIA AVGVSTA. Effigies Antoniæ laureata, participato cum marito victoriæ honore.

SACERDOS DIVI AVGVSTI. Duæ tedæ ardentes, vt antè tab. præced.

CAIVS CÆSAR DIVI AVGVSTI PRONEPOS AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE TERTIVM, PATER PATRIÆ. Matrona velato capite sedens cum paterâ, & infrà, PIETAS. variè hæc solet in Numis exprimi, nunc Aræ adstans, precantis habitu, in cœlum tendens manus. in quibusdam etiam fœmina arculam gerens, thure, credo, refertam. Vel est Agrippina Caligulæ mater, vt pietatem suam ostenderet. Suetonius cap. XV. *Tiberio cum plurimis lachrymis pro concione laudato, funerato amplissimè, confestim Pandatariam & Pontias ad transferendos Matris fratrisque cineres festinauit tempestate turbida, quo magis* PIETAS *emineret, adijtque venerabundus, ac per semet in urnas condidit.*

DIVO AVGVSTO. Templum est cum Sacrificio. Inchoauerat quidem Tiberius templũ in honorem Augusti, sed imperfectum reliquerat. Sueton. in Tiberio cap. XLVII. *Princeps neque opera vlla magnifica fecit; nam quæ sola susceperat Augusti Templum, restitutionem Pompeiani Theatri, imperfecta post tot annos reliquit.* Hoc Templum mox à Caio perfectum, in cuius rei memoriam numus hic cusus. Suetonius in Caligula cap. XXI. *Opera sub Tiberio imperfecta, Templum Augusti, Theatrumque Pompei absoluit.*

S. P. Q. R. Carpentum in honorem Agrippinæ Matris C. Cæsaris, à populo Romano dedicatum. Erat autem Carpentum vehiculum quod Mulis vehebatur, Matronis dicatum, quod solebat in defunctæ honorem cum illius imagine per circum

circum duci. Suetonius in Caligula cap. XV. *Instituit Matri Circenses, & Carpentum, quo in pompa traduceretur.*

GERMANICVS CÆSAR, TIBERII AVGVSTI FILIVS, DIVI AVGVSTI NEPOS. Imago Germanici, patris Caij Caligulæ, à filio auersâ parte numi sui expressa, in honorem Drusi & Antoniæ, filius Tiberij fuit adoptiuus. Nomen *Germanici* accepit, quia natus inter patris de Germanis victorias & triumphos.

CAIVS CÆSAR AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE TERTIVM, CONSVL TERTIVM. Imperator Caligula laureatus. De quo eius cognomine Suetonius cap. IX.

AGRIPPINA MATER CAII CÆSARIS AVGVSTI GERMANICI. Iulia Agrippina M. Agrippæ filia mater Caligulæ, Germanici scilicet vxor, quam & ipsam memoriæ eius perpetuandæ causâ, suo numismati insculpi iussit filius.

AGRIPPINA, DRVSILLA, IVLIA. Tres C. Cæsaris sorores singulæ cum cornucopiæ. Prima columnæ innixa, vt Dea Constantia; Secunda pateram habens, vt Pietas; Tertia gubernaculum tenens, vt Fortuna. De his Sueton. in Caio. cap. XV.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS PATRI PATRIÆ, OB CIVES SERVATOS. Corona ciuica per adulationem Caio decreta. Possent per antiphrasim, vero elogio, sic legi litterarum notæ, S. P. Q. R. PESTI PATRIÆ,

OB CIVEIS SPOLIATOS *aut sublatos*. coronam ciuicam per ironiam & antiphrasim, ex affectu & animi sententia laqueum, seu rem malam ponebant.

Sequitur caput Caij Cæsaris, vt antè, inscriptum.

TABVLA VI.

Habet numismata CLAVDII IMPERATORIS, DRVSI F.

DIANÆ EPHESIÆ, Templum Dianæ Ephesiæ, & in medio eius statua, eâ formâ, quâ ibi coli consueuit. Fuit autem hoc templum inter septem Orbis tunc admiranda. Extat hac formâ Dianæ simulachrum apud Reuerendiss. Antonium Augustinum in numo græco Alexandri Imp. cum inscriptione ΕΦΕΣΙΩΝ.

TIBERIVS CLAVDIVS, CÆSAR AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE QVARTVM. Facies Claudij Imperatoris. De quo Suetonius in vitâ.

IMPERATORE RECEPTO. Castra prætoria, in quæ Claudius, tutelæ & præsidij caussâ, receptus, cùm occiso Caio Cæsare ad Imperium raperetur. Dio, & Suetonius in vitâ Claudij: *Per hæc & talia maximâ ætatis parte transactâ, quinquagesimo anno Imperium cepit*, &c.

PACI AVGVSTÆ. Signum Deæ Pacis, caduceo caput serpentis tangentis: quo alluditur ad Mercurij fabulam, virgâ anguium quorum pugnam dirimentis. Vnde & Romani de

de pace legatos *Caduceatores* nuncupabant. Sinistrâ bullam è collo dependentem vel ori admouet, vel oculis obducit: quo nihil in pace ficti esse debere quidam interpretantur. *Augusta*, quasi simulacrum eius augurio consecratum fuerit, vel ab Augusto, in larario, eâ formâ coli suetum. Repit ante eam serpens, quo designari putatur, Prudentiam Pacis præuiam, & fœderibus eius præmittendam.

TIBERIVS CLAVDIVS CÆSAR AVGVSTVS, GERMANICVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE. Effigies Claudij.

EX SENATVSCONSVLTO, OB CIVES SERVATOS. Corona quernea ciuica Claudio decreta, vt ante eum suprà Caio: sed meritò & titulo veriore, vt infrà tangimus. num. IX.

CONSTANTIÆ AVGVSTI. Deæ sedentis typus.

PRÆTORIANIS RECEPTIS. Porrigit Imperator Aquilifero Prætorianorum dexteram, fidei signum. De quâ re vide Sueton. in vitâ. Habet autem aquilifer exuuijũ leonis in capite, quo habitu illos vti sueuisse testantur numi & marmora.

S.P.Q.R. PATRI PATRIÆ OB CIVES SERVATOS. Iterùm corona ciuica, siue eadem iterùm expressa. Sueton. cap. XVIII. ait Claudium Vrbis & annonæ curam sollicitissimè semper egisse, arctioreque annonâ, ob assiduas sterilitates, detentum, nihil non excogitâsse ad inuehendos etiam tempore hiberno commeatus. Hinc verisimile coronas decretas, vt in aliâ simili coronâ, propter aquæ copiam vrbi cõcessam, aquis Claudiis & Aniene, eius impensis, in vrbem perductis.

NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMPERATOR. Arcus triumphalis cum equestri statuâ,& Germanorum spoliis Druso patri positus,cuius memoriam Claudius renouauit.

TIBERIVS CLAVDIVS, CÆSAR AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE NONVM, IMPERATOR DECIMVM-SEXTVM. Effigies Claudij laureata,anno Imperij nono.

DE BRITANNIS. Arcus triumphi Britannici cum trophæis de Britannis. De quo Sueton.cap.XVII.

TABVLA VII.

Habet CLAVDIVM, AGRIPPINAM, *&* NERONEM *iuuenem.*

VESTALIS. Velata sedet virgo Vestalis, dextrâ lampadem seu lucernam perpetui ignis præferens. Ouidius in Fastis, de Vestâ:

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

Vide Iusti Lipsij clarissimæ mem. viri, de Vestâ, & Vestalibus Syntagma.

TIBERIVS CLAVDIVS CÆSAR AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE VNDECIMVM, IMPERATOR, PATER PATRIÆ, CONSVL QVINTVM. Effigies Claudij laureata, cum titulis honorum solitis.

PACI

PACI AVGVSTÆ. Similem numum habuimus tabulâ superiori.

LIBERTAS PVBLICA. Matrona erecta, pileum dextrâ tenens, siniſtrâ haſtam. Libertatis ſignum eſſe pileum, cuiuis notum. Fortè hic numus ideò cuſus eſt, quod mortuo Caligula P.R. acerbiſſimâ eius tyrannide ereptus, ſub mitiori Claudij imperio libertatem ſibi reſtitutam crederet.

AGRIPPINÆ AVGVSTÆ. Effigies Agrippinæ, quæ mater Neronis Claudio nupta, adoptionem Neroni filio, ſibi nomen & appellationem *Auguſtæ* mox impetrauit. In oppidum Vbiorum, vbi genita erat, quamque gentem auus Agrippa Rhenum tranſgreſſam in fidem acceperat, veteranos coloniamque deduxit, *Agrippinamque* vocauit: illam etiámnum illuſtrem Imperij vrbem, & Archiepiſcopalem Electoris ſedem in Vbiis, *Coloniam* abſolutè nuncupatam. Cuius vxoris dolo, vt filio Imperium acceleraret, poſteà Claudius, Locuſtæ veneficæ operâ, veneno boletis infuſo, peremptus eſt. Sueton. Dio, & in ἀποκολοκύντωσις ſeu Ludo Claudij Cæſaris L. Seneca.

Iterùm CLAVDII effigies.

DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS. Numus cuſus poſt Apotheoſin Claudij, quam faceto opuſculo Seneca, vt iam dixi, perſtrinxit. Ab aduerſâ parte carpentum eſt quadrigâ equorum vectum, ſiue in honorem ipſius Claudij iam Diui, ſeu potiùs Antoniæ Auguſtæ Claudij matris, quod in Circenſi pompâ ob eius memoriam traducendum ipſe curauit; quod apparatus indicat victoriolarum inſculptarum

sculptarum & impositarum, tectumque instar ædiculæ aut templi.

AGRIPPINA AVGVSTA DIVI CLAVDII, NERONIS CÆSARIS MATER. Effigies ex aduerso positæ, Agrippinæ & Neronis. Vide Sueton. cap. IX.

NERONI CLAVDIO, DIVI FILIO CÆSARI AVGVSTO GERMANICO IMPERATORI, TRIBVNITIA POTESTATE EX SENATVSCONSVLTO. Corona ciuica Neroni iam Cæsari decreta, adulatione Senatus, Principi obnoxij & seruientis, iam vsitatâ & familiari. Augurium potiùs, etsi vanum, spei de eo conceptæ, quàm ex merito rerum gestarum.

NERONI CLAVDIO DRVSO GERMANICO CONSVLI DESIGNATO. Neronis effigies iuuenili ætate. Tacitus lib. XII. de Nerone à Claudio iam adoptato. *Et Cæsar adulationibus Senatus cessit, vt vicesimo ætatis anno Consulatum iniret, atque interim* DESIGNATVS *Proconsulare imperium extra vrbem haberet, ac Princeps iuuentutis appellaretur.* Cognomen DRVSI à Patre adsumptum.

EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENTVTIS. Clypeus aureus, quo Nero ab equitibus est Romanis donatus, quando togam virilem sumpsit, exemplo eorum, quos suprà Tabulâ II. diximus, liberis Augusti ab eodem ordine, honoris ergò, collatos fuisse.

TA-



TABVLA VIII.

NERONIS *habet numiſmata.*

NERO CLAVDIVS CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS. Noctua Aræ inſidens. vel Ara hæc Mineruæ erat conſecrata, in cuius tutela Noctua. vel Prudentia Imperatoris denotatur, cuius etiam Symbolum auis hæc.

NERO CLAVDIVS, CÆSAR, DRVSVS, GERMANICVS, PRINCEPS IVVENTVTIS. Effigies alia Neronis adoleſcentis aduersâ facie, ſed eodem tempore expreſſa, in memoriam tituli, quo eum à Senatu auctum ſuprà attigimus.

SACERDOS COOPTATVS IN OMNIBVS CONLEGIIS SVPRA NVMERVM, EX SENATVSCONSVLTO. Symbola Sacerdotiorum, tripus, capeduncula, lituus, & patera. Egregius ſcilicet deorum cultor Nero: quamquam ſub initia Imperij ſpem ſui optimam dederit, quam pòſt egregiè fefellit, teſte Tranquillo.

GENIO AVGVSTI. Genius Neronis ad aram ſacrificans, & ſiniſtrâ cornucopiæ tenens. Hunc deum, præſidem hominum cuique putauit antiquitas, eumque temperamentum naturæ cuiuſque ſiue dare, ſiue dirigere, cumque eo interire. Huic libabant, vt vitæ ratio eius ductu feliciter ſuccederet. Iuuenalis:

Funde merum Genio, non tu prece poſcis emaci
Quæ niſi ſubductis nequeas committere diuis.

Horat. Epist. lib. II.

Cur alter fratrum cessare, & ludere, & ungi
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter
Dives & importunus, ad umbram lucis ab ortu
Siluestrem flammis & ferro mitiget agrum;
Scit GENIVS, *natale comes qui temperat astrum;*
Naturæ deus humanæ, mortalis in unum-
Quodque caput, vultu mutabilis, albus & ater.

CONGIARIO SECVNDVM DATO POPVLO. Sedet Imperator in sellâ curuli pro tribunali siue in sugestu cum assistentibus ministris. Militi donatiuum, populo Congiarium dabatur à Principibus, ita dictum à Congio liquidorum mensurâ; solebant autem antiquitus in populum dari, tot olei aut vini Congij. mox nomen longius ductum, ad quasuis etiam pecuniæ donationes, Principum præsertim, aut publicas.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE DECIMVM, CONSVL QVARTVM, PATER PATRIÆ: EX SENATVSCONSVLTO. Simulacrum virtutis militaris, hastam tenet & parazonium: galeam & scutum, vt spolia hostilia, pede premens. Iuuenis robustus & lacertosus, egregiè armatus: quia Romani primam in virtute bellicâ gloriam ponebant, inde hoc simulacro princeps cohonestatur. Est autem *parazonium*, breuis gladius zonæ alligari solitus, & cæsim, quàm punctim magis feriens, qualem etiámnum Germani aut Heluetij vsurpant.

PONTIFEX MAX. TRIBVNITIA POTESTATE SEPTIMVM, CONSVL IIII. PATER PATRIÆ, EX SENATVSCONSVLTO. Ceres velata facem accensam & spicas

spicas præferens. De Cerere accensis facibus Proserpinam filiam à Plutone raptam quærente, Ouidius & alij. Dea annonæ præses, quam colebant fertilitatis, & frugum abundantiæ antistitam. Horat.

Tum venerata Ceres, vt culmo surgeret alto.

Designat frugum vbertatem Imperio eius, & annonæ laxitatem ab omnibus sperari.

PONTIFEX MAX. &c. Aliud simulacrum bellicæ Virtutis. Sunt autem hi tres numi à Senatu decreti per adulationem, cùm Sueton. cap. VIII. Neronem referat immensis cumulatum fuisse honoribus in Senatu. Galeam peculiariter dextro pede premit, vt & Roma infrà Tab. IX. velut cohonestamento & munimini capitis inimicorum gloriosè insultans.

NERO CÆSAR. Caput Neronis laureatum.

AVGVSTVS GERMANICVS. Simulacrum esse putat Adol. Occo Diui Claudij, qui Neronem adoptauerat, quia is Germanicus dictus. Fortè ipsius Neronis, habitu Apollinis togati, dextrâ ramum lauri, sinistrâ victoriolam tenentis, ob palmam cantu & citharâ partam. De quâ Suetonius, & in Suetonium Reuerendissimus Læuinus Torrentius, & Lucianus: qui hanc eius in canendo insaniam satyricè exagitat, Dialogo, qui *Nero* inscribitur, siue, *De fossione Isthmi*. Facit huc quod extet alius ex ære eiusdem Neronis numus capite radiato, cum inscriptione, NERO CLAVDIVS CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS. & ex auersâ parte habet ipsum laureatum & citharam pulsantem, & sinuosum velut scenicæ vestis, syrma trahentem.

TABVLA IX.

Adhuc NERONIS.

AVGVSTVS, AVGVSTA. Augusti & Liuiæ simulachra seu statuæ felicis memoriæ & honoris ergò à Nerone eis positæ. Illius cum coronâ radiatâ, hastâ purâ, & ramusculo lauri: huius cum paterâ & cornucopiæ, & velo, ritu deorum, & in argumentum diuinitatis: Ille expressus fortè specie Apollinis, ob radios & laurum, cui ipsum etiam viuum Horatius obliquè comparâsse videtur. Carm. lib. 1.

Cui dabit partes scelus expiandi
Iupiter? tandem venias precamur
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

Ista Veneris habitu ob nudum & apertum satis lasciuè iliis tenus pectus. Porrò statua Augusti instar asyli fuit seruis ad eam confugientibus, posteà verò & hoc à calumniatoribus pro capitali crimine obiiciebatur, circa Augusti simulachrum seruum cecidisse, vt inter alia notat Suetonius.

NERO CÆSAR AVGVSTVS. Caput Neronis laureatum.

DECVRSIO. Equestris Neronis figura præcurrente signifero, & milite subsequente. Militare aliquod exprimitur ludicrum certamen, aut hastiludium à Nerone celebratum.

VESTA. Templum rotundum Vestæ & in medio eius statua pateram & hastam tenentis: quod fortè à Nerone restitutum, cùm antè Tiberis inundatione deiectum, aut quassatum fuisset. De quo Horat. Carm. lib. 1.

Vidimus



Property of Mr. J. Mulligan

Vidimus flauum Tiberim, retortis
Littore Hetruſco violenter undis,
Ire deiectum monumenta regis,
Templaque Veſtæ.

ROMA. Inſidens ſpoliis Roma, & dextrâ victoriæ ſigillum, ſiniſtrâ parazonium tenens, Virtutis & Honoris typus.

PACE POPVLO ROMANO, TERRA MARIQVE PARTA, IANVM CLVSIT. Templum Iani quadratum foribus occluſis.

PACE TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Porta templi Iani. Sueton. cap. XIIII. *Ianum geminum clauſit, tam nullo, quàm reſiduo bello.* Sunt autem ferratæ valuæ huius portæ, quales Poëta deſcribit:

Belli ferratos poſtes, portaſque reclusit.

IVPPITER CVSTOS. Iuppiter in ſellâ fulmen & haſtam puram tenens. Iuſtinus lib. XLVIII. *Ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere, ob cuius religionis memoriam adhuc deorum ſimulachris haſtæ addi ſolent.*

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, IMPERATOR, PATER PATRIÆ. Nero Citharædi ſpecie. Nonnulli credunt eſſe Muſam, vel Apollinem Citharædum, de quo Propertius.

Pythius in longâ carmina veſte ſonat:

Sed opinioni noſtræ fauet Suetonius in Nerone cap. XXV. *Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit, item ſtatuas ſuas Citharædo habitu, quâ notâ etiam numum percuſſit.*

EVTYMIVS. Auriga in quadrigis cum palma, ipsi equi etiam palmis ornati. Certum est ad Neronem referri, etsi Eutymij nomen inscriptum. Tacitus lib. XIV. Annalium. *Vetus illi consuetudo erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus fœdum studium citharæ ludicrum in modum canere, cùm cœnaret.* Suetonius cap. XXII. *Sed cùm initio imperij Eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses, secessu commeabat, primo clam, deinde propalam, vt nemini dubium esset eo die vtique affuturum.* Et infrà. *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit, positoque in hortis inter seruitia, & sordidam plebem rudimento, vniuersorum se oculis, in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente Mappam, vnde Magistratus solent.*

SALVS. Dea sedens cum paterâ. Solet addi ara cum serpente, qui Æsculapium refert, vt infrà Tabulâ XXX.

TABVLA X.

Effigies GALBÆ, OTHONIS, & VITELLII.

HISPANIA. Caput Hispaniæ, in quâ Tarraconensem prouinciam octo annis rexit Galba, ante Imperium adeptum. Ponè duæ sagittæ vel iacula, aut gesa fortè, quæ Hispanorum propria fuerunt, cum parmulâ. Indicat bellicosam gentem, expeditæ militiæ, & leuis armaturæ artibus, agilitate corporum, instructam.

IMPERATOR SERVIVS GALBA AVGVSTVS. Caput Seruij Sulpitij Galbæ, cuius historiam & fatum vide apud Suetonium in vitâ, & in Plutarcho.

SE-

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS OB CIVES SERVATOS. Corona ciuica Galbæ decreta, vt aliis ante eum Principibus. Desiderabant enim vel qualescumque Principes à clementiæ laude & famâ auspicari Imperium, quæ grata ciuibus ac subditis, stabiliendæque potentiæ & animis conciliandis oportuna.

LIBERTAS RESTITVTA. Imperator togatus libertatem siue Rempub. in genua procumbentem, & Neronis iam antè tyrannide oppressam subleuat, adstante milite armato, & velut clypei sui vmbone eam defendente, speciosum Imperij auspicium ad populi voluntatem captandam & gratiam. Significat Imperatorem togæ & pacis artibus ac legibus domi salubriter consulturum Reipub. foris & militiæ armis & præsidiis velut obiecto clypeo eam protecturum, vt ad antiquam libertatem nihil desiderari possit.

IMPERATOR SERVIVS GALBA, CÆSAR, AVGVSTVS. Galba laureatus.

VICTORIA OTHONIS. Victoria gradiens cum coronâ & palmâ. initio imperij leuibus aliquot præliis Otho vicerat, in cuius rei memoriam nummus hic cusus. Suetonius in Othone cap. IX. *Et tribus quidem, verum mediocribus prælis apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Castoris (quod loco nomen est) vicit, nouissimo, maximoque apud Bebriacum fraude superatus est.* Tacitus etiam lib. II. Historiarum, primos Othonis conatus secundos fuisse memorat.

DIVA AVGVSTA. Liuia deæ habitu, paterâ scilicet & hastâ purâ insignis. Sueton. in Galbâ cap. V. *Obseruauit ante omnes Liuiam Augustam, cuius & viuæ gratiâ plurimum valuit,*

&

& mortuæ teſtamento pænè ditatus eſt. Plutarchus ſcribit eum Liuiæ cognatione iunctum fuiſſe. Eſt autem hæc vna ex Statuis ei poſitis, ſuffragante Senatu.

IMPERATOR OTHO CÆSAR AVGVSTVS TRIBVNITIA POTESTATE. Effigies M. Saluij Othonis, cuius vitam & breue trium menſium Imperium, velut obiter deguſtatum, & infelix fatum manu propriâ acceleratum, vide in Suetonio, Plutarcho, Xiphilino, & aliis.

SECVRITAS POPVLI ROMANI. Dea Securitas boni ominis, & fauoris popularis captãdi causâ, vt ſuprà Libertatem Galba prætulerat, dextrâ ſertum ſiue corollam tenet, lauream Imperatoris (velut mox ominatâ victoriâ, Rempublicam periculo ciuilis belli liberaturi, & ſecuram præſtituri) capiti, adhuc eo honore vacuo, præparatam.

VITELLII.

QVINDECIMVIR SACRIS FACIVNDIS. Tripus cum Delphino ſuprà, & auiculâ infrà ſedẽte, fortè corniculâ. Tripodes menſæ erant in templo Apollinis Delphici, quibus inſidentes Phœbades Apollinis ſacerdotes reſponſa oraculaque reddebant. Symbolum præſagi ſeu prophetici ſpiritus apud gentiles fuiſſe putatur, aut certè diis immortalibus amici. De Tripodibus Plinius lib. 4. Natural. Hiſt. c. 111. Suetonius in Vitellio ſcribit eum priuatum etiam ſacerdotiis auctũ ampliſſimis. Cornicula auis, ex quâ etiam veteres augurium captabant. Virgil. —*ſi mens non læua fuiſſet,*

Ant è ſiniſtra cauâ monuiſſet ab ilice cornix.

ſiue hîc coruus ſit, auis quam Apollini ſacram tradunt. Fuit autem



autem Apollo cognominatus Delphinius, cui Theseus (vt est apud Plutarchum in vitâ eius) taurum Marathonium immolauit, vocatusque Delphinius, quia se ducem præbuerit Castalio Cretensi, qui coloniam deduxit sub delphini symbolo, vnde fortè hîc delphin appictus tripodi, vel quia, vt refert idem Plutarchus, multæ Apollinis aræ apud Græcos delphinis sculptæ fuerint, vt ab alijs annotatum est.

AVLVS VITELLIVS, GERMANICVS, IMPERATOR, AVGVSTVS, TRIBVNITIA POTESTATE. Effigies Vitellij laureata. Tacitus lib. XVII. *Nomen* GERMANICI *statim additum, Cæsarem se appellari etiam victor prohibuit.*

PONTIFEX MAXIMVS. Dea Pietas sedens cum paterâ, & hastâ purâ, vt infrà, stans, & sacra faciens, Tab. XXII. vel Statua Liuiæ Augustæ posita aut renouata, quali formâ eas exhibet Æneas Vicus.

TABVLA XI.

Continet IMPERATORIS VESPASIANI *numismata.*

IMPERATOR CÆSAR VESPASIANVS AVGVSTVS. Effigies Flauij Vespasiani laureata.

IVDÆA CAPTA. Sedet captiua Iudæa sub palmâ arbore, Syriæ & Palestinæ familiari: ponè adstat Imperator hastam tenens, & parazonium, galeam pede premens, ad designandum virtute bellicâ hostes superatos. Hoc anno, quo numus iste cusus, ipse cum filio Tito de Iudæis, Palestinis, & Syris

triumphum egit. Cuius memoriæ arcus triumphalis ſpoliis templi inſculptus, Romæ erectus etiámnum viſitur.

Sequitur numus ſine inſcriptione, habens vas frumentarium cum extantibus ſpicis: congium putant eſſe, quo vaſe frumentum populo admetiebantur in congiariis. Symbolum eſt largitatis ſeu liberalitatis à Principe populo exhibitæ. Poſſemus etiam ex vaſe interpretari annonæ copiam & vilitatem à Veſpaſiano procuratam, cùm alibi eius numus extet, cum titulo, ANNONA AVGVSTI.

CONSVL ITERVM TRIBVNITIA POTESTATE. Mars gradiuus cum haſtâ & ſigno militari, velo præcinctus: quod an cinguli militaris, ſiue zonæ aut baltei, quo militiæ honor conſiſtebat, loco & ſymbolo ſit, ambigo. Solent autem deorum ſtatuæ & effigies ferè nudæ deſignari, more à Græcis petito.

Eadem inſcriptio, deam Æquitatem præfert cum ſtaterâ iuſtâ, & vlnâ ſiue perticâ, ad iuſtam in pondere & menſurâ rerum deſignandam adminiſtrationem.

Tertium numiſma eamdem habens inſcriptionem, Pacis typum refert, ſedentis cum oleæ ramulo & caduceo. Vnde & Feciales pacis ſtabiliendæ, *Caduceatores* dicti.

CONSVL ITERVM, FORTVNÆ REDVCI. Fortunæ ipſius imago ſtantis, dextrâ proram nauis, ſiniſtrâ cornu abũdantiæ tenentis. Fortunam ſolent frequentiùs gubernaculo inſtruere, vt infrà hac tab. Hîc anteriore nauis roſtratæ parte, quâ felix appulſus deſignatur.

CON-

CONSVL OCTAVVM. Imperator cum haſtâ & parazonio coronatur à victoriâ.

PAX AVGVSTI. Pacis alia imago haſtam & oliuam tenentis.

FORTVNA AVGVSTA, ſiue AVGVSTI. Fortunæ ſtatua in baſi ſtantis, & copiæ cornu atque gubernaculum tenentis. Credo vt Pacem ſuprà, ita hîc Fortunam Auguſtam dictam, quod in larario Principis hac formâ dedicata, & ab eo culta fuerit: per baſim cui inſiſtit, ſtabilitatem eius deſignant. De hac fortaſsè Fortunæ ſtatuâ ſit, quod Suetonius in Galbâ narrat cap. IIII. quem vide, & diaboli, ſuperſtitionis laqueis obnoxios ſibi animos Gentilium inuoluentis, artes agnoſce. Cæſar Iulius multum Fortunæ ſuæ tribuebat, quam ſemper in bellis & periculis propitiam expertus erat, vnde nautæ, qui incognitum ipſum è Græciâ in Italiam vehebat, ob excitam tempeſtatem expaueſcenti dixiſſe fertur, *Quid trepidas? Cæſarem vehis, & Fortunam eius.* Hinc & ſæpè in M. Tullio & hiſtoricis *Fortuna Reip. & populi Rom.* De quâ & Plutarchi commentarius exſtat, dictumque illud: VIRTVTE *duce*, *comite* FORTVNA.

IMPERATOR CÆSAR VESPASIANVS AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE QVARTVM, PATER PATRIÆ, CONSVL. QVARTVM. Caput Veſpaſiani laureâ inſigne, vt ſuprà.

PACI AVGVSTI. Suprà Tabulâ ſextâ & ſeptimâ. Paci Auguſtæ. idem ſimulachrum & eiuſdem ſententiæ.

TABVLA XII.

VESPASIANI, & TITI *eius filij.*

SENATVSCONSVLTO. Duo capricorni, subterque eos globus, & suprà clypeus votiuus ex Senatusconsulto, post mortem Imperatori positus. Fuit hoc signum Capricorni in genesi ei commune cum Augusto, (de quo signo multis Ioan. Goropius Becanus in Originib. disseruit) vt & Carolo quinto Imperatori fel. mem. & fortè hoc themate & symbolo (quod Augustus fiduciâ fati & fortunæ suæ vsurpauit) duplicati siue gemini capricorni designare voluit Senatus in patre & filio Vespasianis velut geminatam fuisse Augusti fortunam, atque in gubernando feliciter Orbe terrarum prouidentiam.

DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS. Vespasiani effigies post mortem consecrati, & in diuos relati, auctore Senatu. Vnde & honorum, quos gesserat, tituli hîc omittuntur.

EX SENATVSCONSVLTO. Clypeus ad columnam affixus inter duas lauros, & suprà vasculum. Plinius libr. xv. cap. xxx. *Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus ianitrix Cæsarum Pontificumque.* Est autem clypeus votiuus honori eius suspensus, & lauri symbola triumphi de Iudæis ducti, & vasculum, quam vrnam esse puto cinerum eius custodem, quæ fortè vel sub basi columnæ, vel in summitate eius, Senatu auctore, interconsitos vel defixos lauri ramos, post consecrationem collocata fuerit.

TITVS

TITVS CÆSAR IMPERATOR VESPASIANVS. Effigies Titi Veſpaſiani filij Imperatoris.

PROVIDENTIA AVGVSTI. Veſpaſianus tradit Orbem filio, id eſt, participem illum facit Imperij orbis terrarum. Suetonius in Tito. *Neque ex eo deſtitit participem atque tutorem Imperij agere. Triumphauit cum Patre, Cenſuramque geſſit vnà, eidem collega & in Tribunitiâ poteſtate, & in ſeptem Conſulatibus fuit.*

CONSVL QVINTVM. Vitulus. Symbolum fortè Triumuiri Monetalis, prout extat alius ſimili figurâ argenteus Iulij Cæſaris, habens inſcriptum nomen, Q. VOCONIVS VITVLVS Q. DESIGNATVS.

IMPERATOR OCTAVVM. Taurus, ſiue bos cornupeta. Eſt ſignum triumuiri monetalis Statilij Tauri, ſiue alterius ex eâ familiâ: aut ſymbolum ludorum, qui Taurij dicti, & diis inferis conſecrati, primùm regnante Tarquinio Superbo, ad propulſandam peſtilentiam, quæ ex eſu carnium taurorum grauidas primùm mulieres, dein cæteros vrbis Romæ incolas infecerat: ſeu cognomen alicuius ex familiâ Taurorum, qui conſulatu Titi quinto ſuffectus fuerit. Solent autem Principes gratioſis quibuſdam indulgere, vt hiſce monetalibus teſſeris ſui honoris, & familiæ memoriam cohoneſtent, & velut perennem faciant, quod pluribus exemplis probari poteſt. Sumi etiam poteſt Taurus iſte, pro Ludis Tauriliis ab Imperatore exhibitis, quod fortè verius.

PONTIFEX TRIBVNITIA POTESTATE. Fortunæ

Augustæ typus, vt suprà Tab. præcedenti, quæ eidem cum patre, communicato Imperio, communis.

PONTIFEX TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL QVARTVM. Victoria basi insistens, coronam ostentans, & palmam, infrà adsurgunt duo angues. Emblema est elegans, sed subobscurum: vtrùm per angues designet, non obstãtibus obsibilantium siue obtrectantium linguis, victoriæ eius gloriam & honores in stabili & securo positos: vtrùm, prudentiâ vtriusque Principis (quæ per duos serpentes designari potest) partam ab hostibus victoriam: vtrùm saluti Principum (cuius symbolum serpens) statuam Victoriæ erectam: vtrùm concordiâ Principum (per duos angues designatâ) victoriam in stabili atq; eminenti velut arâ collocatam & consecratam; acutioribus dispiciendum relinquo. Simile emblema in argenteo numismate habet Æneas Vicus in Augusto, cum inscriptione, ASIA RECEPTA. quod & Goltzius in Augusto adfert fol. XLI. numero V. Reuerendissimus Antonius Augustinus, suspicatur esse aliquod trophæum, quod Augustus erexerit in limitaneo Asiæ & Europæ tractu, easq̃ partes orbis his anguibus significari. Æneas Vicus interpretatur esse victoriam Asiaticam seu Ægyptiacam, contra Antonium & Cleopatram, serpentibus duobus designatam.

PAX AVGVSTA. Pacis simulachrum sedentis cum ramo oliuæ & hastâ, vt suprà pag. præcedenti: quia honores, & dij tutelares ei cum patre communes.

TITVS CÆSAR, IMPERATOR, VESPASIANVS, PONTIFEX, TRIBVNITIA POTESTATE. Titi effigies alia laureata.

NEPTV-



NEPTVNO REDVCI. Neptunus dextro pede globo insistens, tridentem sinistrâ, dextrâ acrostolium tenet. Sunt autem acrostolia extremitates quædam & ornamenta nauium, quæ facilè euellebantur cùm collibitum fuisset, qualia videre est in puppi nauis rostratæ Tab. xx. Votum autumo Imperatorem, ab expeditione Iudaicâ classe Romam reuectum, Neptuno soluisse, eiusque gratitudinis memoriæ hunc numũ signatum. Globum premit, quia terram velut basim suam, aquæ & maria subiectam habent. Tridẽs siue fuscina Neptuni insigne, quo belluas marinas compescit, vnde Poëta:

Fulmina sub Ioue sunt, Neptuni fuscina telum.

TABVLA XIII.

TITI *habet, &* DOMITIANI *fratris effigies.*

TRIBVNITIA POTESTATE NONVM, IMPERATOR DECIMVM-QVINTVM, CONSVL OCTAVVM, PATER PATRIÆ. Symbolum delphini circumuoluti anchoræ. In aureo Domitiani numo apud Æneam Vicum inscribitur FESTINA LENTE. Sueton. in Augusto c. XXIIII. *Nihil autem minus in perfecto duce, quàm festinationem, temeritatemque conuenire arbitrabatur.* Est autem delphinus inter pisces velocissimus, & anchora nauim firmat, & à cursu sistit. Pluribus de hoc symbolo Desiderius differuit in Adagio, *Festina lentè:* quod & Aldina familia Manutiorum typographorum vsurpauit. Eandem sententiam Augustus numis expressit, terminum cum fulmine coniungens, temperatam denotans prudenti cunctatione, actionum celeritatem. Horatius non inuenustè, *Vim temperatam dij quoque promouent*
In maius.

IMPE-

IMPERATOR TITVS CÆSAR VESPASIANVS AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS.

VESTA. Templum rotundum cum tribus ſtatuis ſingulis baſibus in veſtibulo & lateribus collocatis.

TRIBVNITIA POTESTATE NONVM, IMPERATOR XIIII. CONSVL SEPTIMVM, PATER PATRIÆ. Columna roſtrata & in eâ ſtatua Imperatoris, haſtâ & parazonio armati. Videtur autem Titus Auguſti æmulus vel ſtudioſus fuiſſe, quod ex Scito eius *Feſtina lentè*, ſuprà vſurpato, apparet: quare arbitror hanc eſſe eam columnam roſtratam, quæ Auguſto poſita fuit in foro Romano, cum ſtatuâ eius aureâ. De quâ Appian. lib. v. quam fortè Titus renouauit, vel ſimilis eſt Tito poſita, quia in numo Veſpaſiani habemus victoriam naualem adſcripto conſulatu ſexto. C. Duilij quoque prior roſtrata columna hodieque in Capitolio Romæ ſpectatur, de quâ & M. Fabius Quinctil. lib. 1. Inſtitu. Orator. quam & explanauit ſingulari Commentario vir doctiſs. Pet. Ciacconius Toletanus.

TRIBVNITIA POTESTATE NONVM, IMPERATOR XV. CONSVL VIII. PATER PATRIÆ. Duæ ſellæ curules cum coronâ laureâ. Fortè an iſtæ ſellæ deſignant honorem lectiſternio publico habitum Iunoni & Mineruæ in templo Iouis Capitolini, quod fiebat hoc ritu: Inſtruebatur diis tribus epulum & menſa, Ioui, Iunoni, & Mineruæ. Iouis Capitolini ſtatua in ſtrato ſuperbè lecto accumbentis ritu reclinabatur. Iunoni & Mineruæ ſedes poſitæ erant, in quibus excipiebantur, vt matronæ Romanæ accumbere ſolent: tum totâ Vrbe conuiuia publicè fiebant, ad quæ promiſcuo omniũ rerum

rerum vſu in propatulo poſito: noti, ignotique paſſim aduenæ humaniter excipiebantur: & cum inimicis quoque in gratiam redibatur, ac vincti omnes nexu & catenis ſoluebantur, eaque lætitia & feſtiuitas per pluſculos dies celebrabatur. Liuius lib. v. Suetonius, & alij. Atque hæc quidem mea mens, de his in tantâ Antiquitatis obſcuritate, dum quis certiora me doceat: vt & de ſequenti emblemate.

Iterùm eadem inſcriptio & habet fulmen Iouis, & puluinar eius ſiue lectulum, Lectiſternio celebrato in Capitolio ei poſitum, & in ſummo ramulum palmæ. Æneas Vicus interpretatur eſſe ſellam Ioui ſacram, vt alias ſella Mineruæ cum galeâ impoſitâ, & aliorum deorum effigies ſellis ſtratis ſedentium. Sunt qui hoc ſymbolo clementiam Principis ſignificari autument, fortè quod fulmen ſupremi Imperij telum in molli torulo reclinetur: id eſt, Clementiæ rigor ſuccumbat, ſiue fulmen pro Ioue expreſſum, cuius inſigne eſt.

CÆSAR AVGVSTI FILIVS, DOMITIANVS, CONSVL TERTIVM. Imago Flauij Domitiani, Veſpaſiani filij laureata. De quo vide Suetonium.

CONSVL QVARTVM. Cornucopiæ. Deſignat annum vberem & annonæ vilitatem, Principis diligẽtiæ adſcriptam: quod Horatius alibi hoc verſu ſignat. Epiſt. XII. lib. 1.

aurea fruges
Italiæ pleno diffudit Copia cornu.

PRINCEPS IVVENTVTIS. Spei figura dextrâ florem (lilium ſeu iridem vt putant) tenentis, ſiniſtrâ ſtolam ſubleuantis. Deſignat optimam ſpem bonæ frugis, velut in herbâ

florentis ætatis ostentari. Spei simulachrum hoc eodem habitu peregrino semper inuenimus. Credo alibi fortè hac formâ cultam. Iuuencula est, quia spes læta & adolescens: peplo humeros tegit: & succinctis seu subleuatis vestibus incedit: an fortè quia spes properat, & stabilitatem aut quietem non habet, donec desiderij fine optato potiatur? Dedit autem Domitianus optimam initio imperij, cum Nerone, spem bonæ frugis, quam postmodum mirum quantum fefellerit.

CONSVL QVINTVM. Lupa, ad cuius vbera pendent Romulus & Remus, & infrà nauicula velut symbolum, fortè, ripæ Tiberinæ, in quâ conditores isti Romanæ vrbis expositi. Spectatúrque Romæ in Capitolio è lapide nobili hoc idem, aut simile simulachrum.

CONSVL QVINTVM. Parthus restituens signa militaria, vt quidam volunt, quia simile emblema habet Æneas Vicus in Augusto, cum inscriptione, CÆSAR AVGVSTVS, SIGNIS RECEPTIS. Cuius facti memoria in in honorem Augusti, videtur à grato successore renouata, prout multa in honorem Augusti restituisse & Titum, & eum, docemur ex aliis numis.

TABVLA XIIII.

DOMITIANI & NERVÆ
continet numismata.

GERMANICVS, CONSVL DECIMVM-QVINTVM. Germanus insidet nudus & lugẽs scuto, adiacetque iuxtà spicu-

ſpiculum confractum, in ſignum fractæ bello & victoriis Germanorum virtutis & ferociæ, ſed titulis ſpecioſis omnium ferè Imperatorum triumphata fuit gens bellicoſiſſima, potiùs quàm reuerà debellata.

IMPERATOR, CÆSAR, DOMITIANVS AVGVSTVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, IMPERATOR ITERVM, CONSVL OCTAVVM, DESIGNATVS NONVM, PATER PATRIÆ. Caput Palladis armatæ. Aut Palladi honorem deferre voluit, aut prudentiæ laudem adfectauit.

DOMITIA AVGVSTA, IMPERATORIS DOMITIANI. Effigies Domitiæ vxoris Domitiani, cuius conſpiratione cæſus fuit. Vide Suetonium. Huius memoriæ propagandæ hæc effigies eius in auersâ parte numiſmatis mariti poſita.

IMPERATOR CÆSAR DOMITIANVS AVGVSTVS, GERMANICVS, PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE QVINTVM. Pallas armata in gradu militari, ſiniſtrâ clypeum, dextrâ pilum vibrat. Sueton. c. xv. *Mineruam, quam ſuperſtitioſe colebat, ſomniauit excedere ſacrario, negantem vltra ſe tueri eum poſſe, quòd exarmata eſſet à Ioue.* Eſt autem hoc ſimulachrum eo ipſo, vt credo, habitu expreſſum, quo in ſacrario ſeu larario Domitiani colebatur, velut Imperatorem tutelæ ſuæ commiſſum propugnantis.

NERVÆ.

PROVIDENTIA SENATVS. Nerua recipit Imperium

orbis, Senatu deferente per manus Consulis siue Principis Senatus, defuncto Domitiano.

IMPERATOR NERVA CÆSAR AVGVSTVS, PONTIFEX MAX. TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL ITERVM, PATER PATRIÆ. Neruæ Cocceij nobilissimi & humanissimi Principis lauro redimiti vultus, qui inter optimos recensetur. Dicere solebat, *se nihil commisisse toto principatu quominus posset priuatus Imperio depositò tutò viuere.* Magnum præclaræ conscientiæ & clementiæ testimonium.

CONCORDIA EXERCITVVM. Duæ dextræ iunctæ, & in medio signum militare cum fulmine & aquilâ, infrà rostrum nauis. Denotat concordiam copiarum maritimarum & legionum Senatui in electo Imperatore consentientium, Iouis etiam velut consensu firmatam.

CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ. Capeduncula, aspergillum, guttus, & lituus, sacerdotiorum & religionis signa, ob Pontificatus Maximi dignitatem.

CONCORDIA EXERCITVVM. Duæ dextræ in tesseram fidei & vnionis.

TABVLA XV.

TRAIANI I.

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Matrona cum cornucopiâ, dextrâ spicas gerit. adstat modius aut Congius, in quo plures spicæ, ad siniſtram nauis prora est. Osten-

Oſtendit hic nummus Traianum P. R. Annonæ copiam & vilitatem tranſmarinis ſubuectionibus procuraſſe; hoc enim nauis prora denotat: aliàs modius cum ſpicis, ſymbolum eſt liberalitatis à Principe populo exhibitæ, vt Tabulâ XI. dictum.

IMPERATOR CÆSAR NERVA TRAIANVS, AVGVSTVS, GERMANICVS. Effigies Traiani laureata, *Nerua* dictus à patris adoptiui nomine, in cuius familiam & nomen per adoptionem tranſierat.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS OPTIMO PRINCIPI. Imperator habitu militari fulmen tenens & haſtam in ſignum ſupremæ poteſtatis, à Victoriâ coronatur. Titulum OPTIMI PRINCIPIS, Senatu deferente conſequi meruit. Vide Panegyricum Plinij ſecundi.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE CONSVL ITERVM. Fortuna cum temone ſeu gubernaculo & cornucopiæ, & ad pedes eius roſtrum nauis, vt ſuprà Tab. XI. Romani Fortunæ in rebus humanis gubernacula adſcribebant, eamque vt Deam colebant: ſed vidit & riſit hanc ſtultitiam Satyrâ X. Iuuenalis, quam hoc epiphonemate concludit:

Nullum numen abeſt ſi ſit Prudentia, ſed te
Nos facimus Fortuna deam, cæloque locamus.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ. Statua Herculis imberbis, ſpolio leonis tecti, pomum & clauam tenentis. Aut virtutem Traiani prædicat, vt pro Her-

cule eum habuerint: aut certè ipsius in Herculem pietatem & cultum.

DARDANICI. Mulier ramum lauri seu oliuæ præferens. Sunt autem *Dardani* populi circa Hellespõtum accolæ, à Dardano conditore Dardani vrbis (quæ posteà à Troë Troia dicta) nomen sortiti. Fuit autem Dardania vetus nomen Samothraciæ, vt ait Stephanus, quæ Europæ regio hodie Bossina dicta, Illyriæ pars est : à quibus deuictis hic titulus ei datus.

TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL QVARTVM. Imperator in quadrigâ triumphali lauru & aquilæ sceptro insignis. Triumphus de Dacis & Pannoniis.

IMPERATORI TRAIANO AVGVSTO, GERMANICO, DACICO, PONTIFICI MAX. TRIBVNITIA POTESTATE. Caput Traiani, vt suprà.

CONSVLI QVINTVM, PATRI PATRIÆ, S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Typus deæ Libertatis hastam & pileum præferentis. Est autem pileus libertatis insigne, quia serui cùm libertate donabantur, à dominis pileum sumebant: & seruos ad pileũ vocare, erat eos specie libertatis ad res nouas commouere. Cuius est autem hic numus, quia sub optimo eius Imperio Respub. quasi libera florebat, in gratitudinem, & titulus OPTIMI PRINCIPIS, vt suprà collatus. Est autem censenda libera Respublica, vbi Imperator Legum custos, & quasi viua lex, ex Iustitiæ normâ se format in exemplum, ciues regit & tuetur in stabilem rerum securitatem & pacis opibus florentem tranquillitatem, quod in Traiani vitam cadit, consentientibus historiis.

CON-

CONSVLI QVINTVM, PATRI PATRIÆ, S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Arabiæ ſimulachrum videtur, ad cuius pedes camelus animal ei regioni familiare. Dio in vitâ Traiani. *Per idem tempus Palmas Liciæ profectus eam Arabiæ partem, quæ ad Petram vergit, edomuit.* Ramum quem præfert, turis virgultum autumo: de quo Poëta:

——*ſolis eſt turea virga Sabæis.*

CONSVLI QVINTVM, PATRI PATRIÆ, OPTIMO PRINCIPI. Corona ciuica à Senatu decreta ob beneficia in Rempub. non tam adulatione, vt aliis ſuprà Principibus, ſed ſolido veritatis teſtimonio, & ex animi ſententiâ.

TABVLA XVI.

Proſequitur TRAIANI *monumenta & honores.*

TRIBVNITIA POTESTATE SEPTIMVM, IMPERATOR QVARTVM, CONSVL QVINTVM, PATER PATRIÆ. Figura inſidens duobus cornibus abundantiæ & haſtam tenens. Vbertas fortè aut annonæ copia deſignatur.

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. BASILICA VLPIA. Pulcherrimum ædificium à Traiano extructum.

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Deus Genius nudus ad aram accenſam adſtans, dextrâ pateram tenet, ſiniſtrâ duas ſpicas. De Genio deo, vide ſuprà Tab. VIII.

CONSERVATORI PATRIS PATRIÆ. Iuppiter cum fulmine & haſtâ, pallioque Imperatorem Traianum circumdans,

dans, vt denotent eum cuſtodiâ Iouis & tutelâ muniri: vt Horatius dixit, ſimili imagine:

Dij me tuentur, Dijs pietas mea
Et Muſa cordi eſt. —

FORVM TRAIANI. Aliud ædificium publicum à Traiano in foro ſui nominis erectum inſtar arcus triumphalis, in cuius ſummo Imperator ſeu Victoria in ſeiugo curru, & ad latus ſpolia & ſtatuæ, infrà quatuor ſtatuæ in ſuis baſibus collocatæ, ſcilicet in veſtibulo ſeu columnarum periſtylio.

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. & infrà VIA TRAIANA. Mulier humi procumbens rotam & arundinem tenet, & ponticulo inniti videtur. Dio, *Per eadem tempora in Pomptinis paludibus via ſaxo conſtrata eſt, ſecundùm quam domus ædificatæ ſunt.* Videtur eſſe ſimulachrum Pomptinæ paludis iam rotis & curribus peruiæ, vel ipſius via per paluſtria eius tractus (quæ arundine deſignantur) communita.

IMPERATORI CÆSARI NERVÆ TRAIANO, OPTIMO AVGVSTO, GERMANICO, DACICO, PARTHICO, PONTIFICI MAXIMO, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVLI SEXTVM, PATRI PATRIÆ S.P.Q.R. Caput, vt putant, Solis in Oriente culti, vel Regis alicuius in tractu Orientis: quia in aliis Hadriani & Traiani numis hac effigie inſignitis inſcriptum eſt, ORIENS. Prout & infrà aliquoties Sol radiatus, cum inſcriptione, ORIENS AVGVSTI. Symbolum Imperij in tractu Orientis propagati.

CONSVLI QVINTVM, PATRI PATRIÆ S.P.Q.R: OPTI-

OPTIMO PRINCIPI. DANVVIVS: Simulachrum Danubij Fluminis, in quo pontem lapideum Traianus erexit. Dio: *Interim Traianus pontem lapideum in Danubio faciendum curauit, quem ego quidem dignè admirari non queo*, &c. Idem: *Hunc pontem Traianus fecit, metuens ne Danubio congelato frigoribus, Romanis qui trans flumen essent, bellum inferretur*, &c. Extant hodie etiámnum pilæ ingentes, cùm pons ipse ab Hadriano dirutus fuerit. Vide Iustum Lipsium in Admirandis, seu Magnitudine Vrbis Romæ.

CONSVLI QVINTVM, PATRI PATRIÆ, S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. DACIA CAPTA. Dacus manibus colligatis adstat, spoliis armorum ad pedes positis. Dion Cassius: *Romam deinde Traianus ingreditur, & ex eo (secundâ expeditione Dacicâ confectâ) Dacicus appellari cœpit.*

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Trophæum insigne Traiani de Dacis aliisque hostibus, Senatus populique Romani iussu erectum.

TABVLA XVII.

Adhuc TRAIANI *gesta & monumenta.*

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS OPTIMO PRINCIPI. Arcus triumphalis Ioui optimo maximo consecratus in honorem Traiani publico decreto erectus, in cuius summitate quadriga triumphantis cum victoriis & trophæis, & ab vtroque latere historia rerum gestarum.

IMPERATORI CÆSARI NERVÆ, TRAIANO, OPTIMO, AVGVSTO, GERMANICO, DACICO. Effigies Traiani cum titulis à Senatu decretis.

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Templum, & in medio eius ſtatua.

PONTIFICI MAXIMO, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVLI SEXTVM, PATRI PATRIÆ S.P.Q.R. Genius deus cum paterâ & ſpicis. De quo ſuprà ad Tab. VII.

IMPERATORI, TRIBVNITIA POTESTATE CONSVLI SEXTVM, PATRI PATRIÆ S.P.Q.R. FORTVNA REDVX. Fortunæ reducis ſimulachrum, gubernaculum, & cornucopiæ ferentis. Deſignãt ſymbola ipſam, rerum gubernationem & rerum adfluentiam in ſua poteſtate habere. Vide ſuprà Tab. X. & XV.

CONSVLI QVINTVM, PATRI PATRIÆ, SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS OPTIMO PRINCIPI. ALIMENTA ITALIÆ. Imperator togatus ſpicas, id eſt frumentum in alimenta pauperum pueris diſtribuens. Spartianus in Hadriano: *Pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit.* Dion de Traiano: *Romam deinde regreſſus multa in emendationem publicorũ negotiorum conſtituit, & in puerorum alimenta, in Italiã dumtaxat, multa elargitus eſt.* Exſtat & aliud numiſma Traiani, inſcriptum: S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. ALIMENTA ITALIÆ. vbi exprimitur Imperator ſedens, & mulieri cum liberis adſtanti aliquid conferens, addito Conſulatu ſexto.

S.P.Q.R.

S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Columna Traiana, etiámnum Romæ extans inter maximè illuſtria Antiquitatis monumenta, & in ſummo eius, ſtatua Imperatoris. In baſi quatuor aquilæ. Dion de Traiano: *Bibliothecas extruxit, & in foro ſuo ingentem columnam ſtatuit, ſiue vt ea proſepulchro eſſet, ſiue in oſtentationem eius operis, quod ille circa forum egit.* Eutropius lib. VIII. *Solus omnium intra Vrbem ſepultus eſt, oſſa collata in vrnam auream in foro quod ædificauit, ſub columna ſita ſunt, cuius altitudo centum quadraginta pedes habet.* Hæc abſoluta eſſe colligitur ſeptennio poſtquam cœpta fuit, conſulatu nempe Traiani ſexto, Imperij anno XV. Nec abs re notat Cardin. Baron. Tom. Annal. III. miram Dei prouidentiam in exaltandâ Eccleſiâ ſuâ, etiam in iſtis gentilium trophæis ei in gloriam cedentibus: cuius verba de hac columnâ, ſic ſe habent: Opus eſt planè admirabile, nec anteà viſum; quo in hunc vſque diem diuina prouidentia, ceteris ferè omnibus nobilibus Vrbis antiquis monumentis barbaricâ manu, vel terræmotu dirutis atq; proſtratis, vel ſaltem quaſſatis, integro permanente, Sixtus quintus Pont. Max. ſuper eius verticem præclariſſimum Chriſtianæ religionis monumentum Principis Apoſtolorum PETRI ingentem æneam, magnâ impensâ ſtudioque conflatam ſtatuam, inauratamque ſacris ritibus ſolemniter collocauit, &c. Hanc cochleam imagineſque exteriùs militares æri inſculptas edidit eruditiſſimus vir Alfonſus Ciacconius, familiæ Sancti Dominici Doctor Theologus.

CONSVLI SEXTVM, PATRI PATRIÆ S.P.Q.R. Iupiter conſeruator (vt paginâ 47.) Imperatorem lauru & ſceptro inſignem, velut in tutelam receptum munit ſinu togæ, & fulmine tuetur.

REX PARTHIS DATVS. Imponit Imperator ſtanti diadema regi, alio iuxta genuflexo adſiſtente. Dio in vitâ eius: *Interea Traianus nouarum rerum anxius, Parthis, qui iam ad defectionem ſpectantes, imperia detrectabant, Regem dare conſtituit, propiuſque Ctesiphonta profectus, in patentes campos Romanos ſimul & Parthos in concionem vocat, atque ex ſuggeſtu multa præfatus, ſuper iis quæ egiſſet, Parthenaſpatem Regem Parthis diademate impoſito deſignat.* Spartianus in Hadriano hunc alio nomine appellat: *Pſamatoſirim, quem* (ait) *Traianus Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus regem dedit.* Et Dio alibi *Parthamoſirim*. Eutropius nominat *Pharmacoſirim* regem Armeniæ, qui à Traiano eo regno ſpoliatus eſt, teſte Dione.

IMPERATORI CÆSARI NERVÆ TRAIANO, OPTIMO, AVGVSTO, GERMANICO, DACICO, PARTHICO, PONTIFICI MAXIMO, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVLI SEXTVM S. P. Q. R. Vota ſuſcepta. Sacrificat Genius populi Romani, adſtante Traiano togato, & vota concipit pro eius incolumitate. De his votis Plinius in Epiſtolis ad Traianum, quæ infrà citamus Tab. XL.

TABVLA XVIIII.

PLOTINÆ, MATIDIÆ, & HADRIANI.

CLEMENTIA AVGVSTI. Dea Clementia ſedens, dextrâ lauri ramum gerit. Nulla eſt virtus quæ Optimo Principi magis conuenit, quàm Clementia;

——— *nam cùm vincamur in omni*
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.

Hæc

Hæc Iulium Deorum numero adscripsit, hæc Augustum consecrauit, hæc Pio cognomentum dedit. Sedentis habitu exprimitur, quòd sedes quietum animum denotat.

CONSECRATIO. Pauo Symbolum est Consecrationis Augustarum: nam vt credula antiquitas sibi persuadebat Aquilam Iouis alitem Imperatorum animas in cœlum subuehere, ita etiam credebat à Pauone Iunoni consecrata Augustas in cœlum ferri.

PLOTINÆ AVGVSTÆ. Plotinæ effigies vxoris Traiani, honestissimæ matronæ, quæ virum ab exactionibus prouincialibus compescuit: quâ de re Sex. Aurelius Victor.

MATIDIÆ AVGVSTÆ. Matidia Traiani sororis filia, socrus Hadriani per filiam Sabinam. Numus iste & sequens fortè Hadriani iussu cusus. De quo Spartianus: *Socru suæ honores præcipuos impendit, ludis gladiatorius, ceterisque officiis.*

MATIDIA AVGVSTA, DIVÆ MARCIANÆ FILIA. Hæc *Augusta* dicta, & post mortem quoque in diuas relata, exemplo matris, cui hoc tributum in gratiam Traiani.

PIETAS AVGVSTÆ. Stat Matidia habitu Pietatis inter duas puellas alimentarias, quibus ipsa, exemplo Traiani, & pridem Liuiæ Augustæ de suo alimenta attribuisse videtur.

HADRIANI.

DIVIS PARENTIBVS. Traiani & Plotinæ capita post mortem in diuos relatorum, in quorum capitibus stellæ vt

inter ſidera adſcriptorum. Eorum filius adoptiuus Hadrianus.

HADRIANVS AVGVSTVS, PATER PATRIÆ. Effigies Hadriani iuuenili ætate, ſub initia Imperij, poſt adoptionem Traiani. Filium & formam eius ſic deſcribit Spartianus: *Staturâ procerus, formâ comptus, flexo ad pectinem capillo, promiſſâ barbâ* (quod inſuetum aliis Romanis) *vt vulnera* (ſiue maculas inſtar cicatricum) *quæ in facie naturalia erant, tegeret, habitudine robuſtâ.* Quæ omnia numi eius repræſentant. Dio quoque vel ex eo Xiphilinus Hadrianum primum barbam aluiſſe inter Auguſtum referunt.

ROMVLO CONDITORI. Romulus haſtam & trophæum ſiue opima ſpolia ferens occiſo Acrone Ceninenſium duce: quâ de re Aurelius Victor in vitâ Romuli. Memoriam conditoris renouat, vt eius exemplo, & velut tutelari numine feliciter Imperium auſpicetur.

TELLVS STABILITA. Agricola ſiue telluris ſimulachrum: dextrâ aratrum tenens, ſiniſtrâ anchoram, & ponè ſpicas creſcentes. Denotat quod pacato orbe, agriculturæ redierit honor ſuus: anchora ſymbolum ſtabilitatis, quia eâ naues à fluctuatione firmantur. Imago tunicata eſt brachiis & pedibus nudis: qualis habitus ruri in agrorum culturâ verſantium eſſe ſolebat. Virgil. in Georgicis:

Nudus ara, ſere nudus, hiems ignaua colono.

Sequitur Imperator eques aliquid manu innuens, ſiue ſtatua potiùs equeſtris Hadriano dedicata: ſine inſcriptione. Conſimilis formæ exſtat Romæ etiámnum in areâ Capitolinâ,

nâ, ſtatua grandis M. Antonini ex ære fuſili, inſignis operis & artis. Similis ei, ſeu eadem ſtatua infrà exhibetur Tab. XXI. & quidem ſedentis ſine ſtapedis, quibus Romani in equitando carebant, vt docet in Miſcellaneis Hieron. Magius.

TABVLA XIX.

HADRIANI *porrò res geſtas complectitur.*

RESTITVTORI ORBIS TERRARVM. Imperator togatus, dextrâ ſubleuans mulierem turrito capite, & orbem geſtantem. Terram deſignat omnem oppidis cultam & habitatam, Imperatoris beneficiis recreatam. Spartianus de Hadriano: *Nullus ferè Principum tantum terrarum tam celeriter peragrauit.* In memoriam iſtius peregrinationis & beneficiorum, quorum vbique locorum monumenta reliquit, numiſmata ſequentia cuſa videntur. Odioſi plerumque Prouincialibus & graues eſſe ſolent Procuratores Principum & Præſides In eo autem magnam ſibi gratiam populorum conciliauit Hadrianus, quod vt refert idem Spartianus: *Circumiens Prouincias, Procuratores & Præſides pro factis ſupplicio affecit, ita ſeuerè vt accuſatores per ſe crederetur immittere.* Porrò peregrinationis ita cupidus fuiſſe traditur, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præſens vellet addiſcere. Fuerunt etiam eius temporibus fames, peſtilentia & terræmotus, mala cælitus immiſſa: quæ omnia quantum potuit procurauit, multiſque ciuitatibus per iſta vaſtatis liberaliter ſubuênit: Vnde hic titulus RESTITVTORIS, non planè ex vanâ adulatione, ſed ex vero delatus. Exſtat & conſimilis eius numus, cũ titulo LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM. Spartianus alibi: *In omnibus penè vrbibus & aliquid ædificauit, & ludos edidit.*

AFRI-

AFRICA. Typus Africæ humi ſedentis, & proboſcide tectæ, dextrâ leonem demulcet, ſiniſtrâ caniſtro frugum innititur, deſignandæ fertilitati. Proboſcis, ſiue exuuium elephantis, tegmen capitis eius, ad deſignandum hoc animal huic prouinciæ familiare. Erat etiam Africa, vt Ægyptus ob frugum copiam iam tum horreum populi Romani.

ADVENTVI AVGVSTI AFRICÆ. Africa dextrâ pateram tenens, ſiniſtrâ ſpicas, ſacrificat adſtante victimâ, pro aduentu felici Imperatoris iam præſentis, in habitu togato & pacifico adſiſtentis.

RESTITVTORI AFRICÆ. Imperator dextrâ Africam ſubleuans, ſpicæ creſcentes & demeſſæ quas manu tenet, agriculturæ felicitatem, & adfluentiam frugum deſignant. Horatius Odarum 1.

Alter ſi proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis, &c.

pro abundanti meſſe.

AFRICA. Africa iterùm expreſſa humi ſedens innixa ſcopulis ſeptem, vt apparet, ſiue collibus, dextrâ ſcorpionem præferens, ſiniſtrâ cornu Amaltheias, adſtante ad pedes caniſtro frugum. Scorpius animal Africæ, vt reliqua venenatorum, familiare, quod ideò peculiariter hîc apponi in teſſeram putamus, quod, vt Lucianus refert, titulo, De dipſadibus, *Libya*, ſiue ea pars Africæ, *quæ ad Auſtrum tendit*, inter cetera ſerpentum genera, *duplex habet genus ſcorpionum: vnum terreſtre & pedibus ingrediens permagnum, multis corporis vertebris inſigne, alterum aërium & volatile alis tenuibus, cuiuſmodi ferè ſunt locuſtis & veſpertilionibus, auibus multis qualibus circumuolantibus inacceſsibilis*

acceſsibilis & infeſta redditur illa Lybia. Fortè ſeptem colles deſignant, Romanæ vrbi ſe quietem ſuam debere ob ſtabilitam agriculturæ ſecuritatem: ſiue quod Romam ipſam annonâ ſuâ ſuſtentare ſoleat: ſeu denique quod montuoſa ipſa ſit. Spartian. *Poſt Aſiam luſtratam & peragratam, Romam venit, atque ex eâ in Africam tranſit, ac multum beneficiorum Prouinciis Africanis attribuit.*

NILVS. Simulachrum Nili fluminis in Ægypto: cornu abundantiæ tenet, & arundinem. Hippopotamo atque crocodilo iuxta adſtantibus, quæ animalia Nilo peculiaria, de quibus vide Plinium Hiſtoriæ naturalis lib. v. cap. IX. & X. & lib. XXVIII. cap. VIII. Innititur ſcopulis ſiue pyramidibus, ſeu potiùs metis illis, quæ altitudinem Nili creſcentis ad certos cubitos deſignabant, cum ſpe fertilitatis, aut ſterilitatis futuræ metu.

ALEXANDRIA. Typus Alexandrinæ ciuitatis, quæ tunc Ægypti metropolis, ſpicæ, vitis, & vas fructibus plenum cui incumbit, denotant felicitatem & annonæ copiam. Alexandriâ ſoluebant naues, quæ frumentum ex Africâ in exteras regiones deuehebant.

ÆGYPTOS. Græca terminatione expreſſum nomen. Perſona eſt Ægypti ſiue Iſidis, ſiſtrum præferentis & ſportæ vuis & ſpicis plenæ incumbentis. Ad pedes adſtat ibis ſiue ciconia, quod animal Ægyptiis ſacrum, ob beneficium quod præſtat in pugnâ cum ſerpentibus & inſectis. Ab hoc animali clyſteris vſum didicit Medicina.

ADVENTVS AVGVSTI MAVRETANIÆ. Mauritania

nia ſuccincto habitu vexillum tenens, proboſcide Elephantis ſui ornata, ſacrificat adſtante Imperatore, & iuxta aram victimâ, atque capite alicuius, vt puto numinis, cui ſacra fiunt.

RESTITVTORI ACHAIÆ. Imperator Hadrianus Achaiam genuflexam à terrâ, porrectâ dexterâ ſubleuans. Spartianus de eo: *Poſt hæc per Aſiam & Inſulas ad Achaiam nauigauit, & Eleuſinia ſacra exemplo Herculis Philippíque ſuſcepit, multa in Athenienſes contulit, & pro agonothetâ reſedit.* Additque paulò infrà: *In omnibus penè vrbibus & aliquid ædificauit, & ludos edidit. Athenis mille ferarum venationem in ſtadio exhibuit.*

ASIA. Aſiæ minoris perſona: gubernaculum ſiniſtrâ gerit, & proram roſtratam nauis pede premit: vel ad deſignandam Hadriani ad eas partes naualem ſeu maritimam peregrinationem, de quâ vt ſuprà, Spartianus: ſiue ad rei maritimæ peritiam tunc maximè in his maris mediterranei locis vigentem, propter Rhodum, Epheſum, aliaſque in ea vel ad eam ſitas maritimas, tunc re claſſicâ pollentes, ciuitates. Quid dextrâ geſſerit in numo non dignoſcitur.

CAPPADOCIA. Prouinciæ eius typus turritæ, ſpolio feræ indutæ, vexillum ſiniſtrâ, monticulum ſeu ſcopulos aliquot dextrâ præferentis. Videtur deſignare gentem venationi deditam & bello vtilem. De eâ Spartianus in vitâ Hadr. *Per Aſiam iter faciens à Cappadocibus ſeruitia caſtris profutura ſuſcepit.*

TA-

TABVLA XX.

HADRIANI *gesta continuat.*

RESTITVTORI GALLIÆ. Gallia genuflexa adsurgit dextram porrigente togato Hadriano. De eâ Spartianus: *Post hæc profectus* (Hadrianus) *in Gallias, omnes causariis liberalitatibus subleuauit*. Est autem *causaria liberalitas* (explicante Casaubono) cui aliquis casus, aut calamitas fuit causa, quale est incendium, terræmotus, inundatio, bellica vastatio, & similia. Refert Gabriel Symeoneus iuxta ruinas Gergobiæ in Aruernis (de cuius frustrà tentatâ à se oppugnatione Cæsar lib. VII. Comment.) inuẽtam columnam marmoream altam p. x. latam pedes duos & semis eo loco, quo Cæsar castra posuerat, inscriptam: IMP. CÆS. DIVI TRAIANI PART. FIL. DIVI NERVÆ NEP. TRAIANVS HADRIANVS. quam verisimile est in memoriam visitati à se huius loci positam, eò quòd illa ciuitas Vercingentorigis patria: eoque duce sola legionum Cæsaris oppugnantium impetus repulisset, occisis XLVI. centurionibus, & militibus DCC. Cæsar Commentar. lib. VII.

GERMANIA. Typus Germaniæ stantis, & hastam atque scutum Germanicum tenentis, vt nondum pacatæ, neq; Romanis planè obnoxiæ. Spartianus: *Inde in Germaniam transit* (Hadr.) *pacis magis quàm belli cupidus, militem quasi bellum imminneret exercuit*. Huius velut deuictæ titulum suprà Drusus Tab. IIII. Germanicus Tab. V. Claudius Tab. VI. Tiberius & Nero Tab. VII. & VIII. Domitianus Tab. XIIII. Denique Traianus suprà vsurpauerant: sed eam adhucdum stantem,

& nondum exarmatam aut subactam hoc numo fatetur Hadrianus. Quod clarum est ex eo, quod & sequẽtes ferè omnes ordine Imperatores ex hoc mustaceo sibi lauream, & honorem titulis & trophæis ambiuerint solidiorem, ex inuictâ scilicet & bellicosissimâ gente, & vt euentus docuit Dei prouidentiâ, reseruatâ ad Imperij ipsius Romani titulum & sedem, (marcescente paullatim Romanorum gloriâ & virtute bellicâ) in posteros suos feliciter transscribendam, & velut coniugio iunctam stabili, proprioque dicatam, æternùm, (vt auguramur) possidendam.

HISPANIA. Sedet Hispania quiescens, & ramum oleæ dextrâ præferens, adstante cuniculo ob eorum animalium in eâ frequentiam, etiam antiquis decantatam: vt docet Strabo, Ælianus, & Catullus hoc epitheto; *Cuniculosæ Celtiberiæ fili.* Plin. lib. VIII. c. XXIX. *M. Varro*, inquit, *auctor est à cuniculis suffossum in Hispaniâ oppidum*. Oliuam gerit ob olei copiam & præstantiam.

ADVENTVI AVGVSTI GALLIÆ. Sacrificat Gallia adstante aris victimâ ob felicem Imperatoris aduentum.

IMPERATOR, CÆSAR, TRAIANVS HADRIANVS, AVGVSTVS. Alia Imperatoris Hadr. laureata effigies & loricata.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL TERTIVM. HERCVLES GADITANVS. Imago Herculis Gaditani, dextrâ clauam tenet, sinistrâ tria mala ex Hesperidum hortis lecta ostentat. Infra eum prora est nauis, & simulachrum fluminis, seu freti Gaditani. Significare

ficare videtur Herculem nauigatione per fretum Gaditanum primùm institutâ ad Hesperidum insulas peruasisse, & aurea illa decantata mala inde abstulisse. Hadrianum lustratâ Hispaniâ per fretum hoc fortè Gadibus redeuntem per adulationem Herculi componit.

ADVENTVI AVGVSTI ITALIÆ. Sacra facit & vota soluit Italia, adstante Hadriano reduce: cornucopiæ gestat ob rerum omnium in Italiâ vbertatem. Alij addunt hîc S. C. id est, ex Senatusconsulto numum cusum, & adstantem aris victimam. Accidit autem hic aduentus consulatu eius tertio, non diu post adeptum Imperium. Potest tamen etiam referri ad reditum post cõfectam Orbis Romani peregrinationem, præsertim si in auersâ parte Trib. potest. annus, id est Imperij, non est adscriptus.

ROMA ÆTERNA. Sedet Roma galeata super scopulis seu collibus, hastâ & clypeo subnixa, dextrâ solis & lunæ symbola tenet, dextro pede Orbem premit. Denotare videtur Romanæ gloriæ parem cum cælestibus sideribus æternitatem, & potentiam toto Orbe diffusam Imperatori etiam Hadriano acceptam ferri. Hæc figura ROMÆ ÆTERNÆ, aliquoties etiam posterioribus Imperatoribus vsurpata, & si non semper eodem planè filo, & designatione. Vide Tab. seq. XXI. Item XXXII. XXXVIII. XL. XLV. XLVII. XLVIII. LXI. & LXII.

SPES POPVLI ROMANI. Spei simulachrum, quæ florem seu folia ostentat, vt spem frugum. Porrò vbertatis cornu gestat, & gubernaculo Orbem tangit: innuens, quod spes duraturæ felicitatis & affluentiæ, Imperatoris Orbem feliciter gubernantis prouidentiæ à Populo Romano adscribebatur.

Alibi Spei ſimulachrum alio habitu ponitur, vt Tab. ſequenti, & Tab. XIII. XXXIII. & XLVIII.

SECVRITAS AVGVSTA vel AVGVSTI. Sedet dea *Securitas* quieſcens, velut in vtramque aurem dormiens (vt eſt in prouerbio) & puluinaris loco duobus copiæ cornibus ſuffulta, nudum pectus præfert, vt metus omnis expers & periculi ſecura. Virgilius *ſecuram quietem* vocat eodem ſenſu, quo hîc Securitas quieſcens, Georg. II.

At ſecura quies, & neſcia fallere vita.

Sequitur, ſine inſcriptione, Nilus fluuius, arundinem geſtans, & cornu abundantiæ: à dextris crocodilum habet, à ſiniſtris hippopotamum, animalia Nilo familiaria, vt iam diximus. Deſignatur nauigatio Hadriani per Nilum facta. De quâ Spartian. *Antinoum ſuum, dum per Nilum nauigat perdidit: quem muliebriter fleuit. De quo varia fama eſt: aliis eum deuotum pro Hadriano aſſerentibus, aliis quod & forma eius oſtentat, & nimia voluptas Hadriani.* Vtrumque fuiſſe credibile eſt. Nam & primum Dion diſertè aſſerit, nempe ſpontaneâ eum morte pro Hadriano, deſiderante fata ſua producere, velut ſuccidaneam ſe hoſtiam obtuliſſe. Credebant enim gentiles ita vitam alterius prolongari, ſi eius velut vicem amicus ſponte ſubiret: quo alludit Horatius carm. lib. III.

Pro quâ non metuam mori,
Si parcent animæ fata ſuperſtiti.

Tum & alteram ſententiam, quod in amoribus Hadriani fuerit oſtendunt nimij honores mortuo ab Hadriano habiti ſtatuis, templis, tabulis, oppidis illi dedicatis, & deſiderij teſtatâ tot lachrymis impatientiâ.

FELI-



FELICITATI AVGVSTI. Triremis prætoria roſtrata, & in puppi acroſtolio inſignita, ac gubernatore ſuo ad clauum ſedente inſtructa. Sæpè in Imperatoriis numiſmatibus hoc ſymbolum deſignandæ felicitati occurrit. Credo quòd, vt in nauigio, gubernatoris & vectorum communis eſt fortuna felicis curſus, & commune periculum: ideoque ſub peritiſſimo & felici Nauclero ſecurior & felicior ſolet eſſe nauigatio; ita & in Republicâ à prudentis & felicis Principis Imperio & regimine ſalus & felicitas publica dependeat. Quod deſignare videtur labari vexillum in prorâ nauis, quod ante Imperatorem geſtari ſolitum, qui per ſedentem in puppi repræſentari videtur. Quò ſpectat & illa Horatij allegoria, cùm Rempublicam Romanam ſub nauis imagine alloquitur; carm. lib. 1.

O nauis referent in mare te noui
Fluctus, ô quid agis? fortiter occupa
Portum, nónne vides vt
Nudum remigio latus? &c.

Etſi alij aliter hoc ſchema interpretentur.

TABVLA XXI.

Etiámnum HADRIANI *numiſmata.*

SPES AVGVSTA. Spei ſimulachrum folia ſeu florem oſtentantis vt ſuprà, adſtantibus tribus iuuenibus armatis, qui eo ferè habitu ſunt, quo ſuprà Tab. VIII. & infrà Tab. XXVII. expreſſa eſt Virtus militaris. Spem Reipublicæ videtur denotare in numerosâ iuuẽtutis educatione Auguſto adſcribendam, aut ius trium liberorũ ad tollendos liberos inuitans. Certè in virtute iuuenum & fortitudine militum Auguſtum

gustum fiduciam boni euentus ponere. Sunt enim (vt est in prouerbio) facta iuuenum, vt consilia virorum, & vota senum optima. Spes ista vt aliàs suprà Tab. XIII. lacernâ induta est, seu potiùs capitio, quod describit Varro: *Muliebre pectoris indumentum, ita dictum, quod pectus capiat & comprehendat brachia*, & vestem infrà ad talos subleuat. An fortè quod ea spes optima, quæ & secretum cordis tegit, & ad consequendum quod desiderat pedes expeditos habet, & industriam nõ ignauam? An verò properè transcurrentis, & ad viam ornatæ formam habet, quia in spe nemo subsistit, sed ad rem speratam contendit?

HADRIANVS AVGVSTVS. Hadriani laureata effigies.

CONSVL TERTIVM. Lupa cum Romulo & Remo lactentibus, aut vt originem Romanæ vrbis renouet in gratiam conditorum, aut vt Hadrianum cum ipsis conditoribus componat.

Pons, cui quatuor statuæ impositæ citra vllam inscriptionem. Sed quantum coniecturâ consequi possum, est Pons Ælius, hodie S. Angeli dictus, ab Ælio Hadriano prope Mausolæum suum exstructus. de quo Spartianus in Hadriano: *Fecit & sui nominis pontem, & sepulchrum iuxta Tiberim, & ædem Deæ Bonæ transtulit.* Dion verò, Ælium pontem nominat, lib. LXIX. *Sepultus est iuxta flumen ad Pontem Ælium, vbi monimentum fecit.*

CONSVL TERTIVM. Hadrianus eques cum hastâ seu lanceâ decurrens, siue statua ei posita, ad designandam militarem eius industriam vt suprà Nero Tab. IX. Spartianus: *Militem*

militem quasi bellum immineret exercuit, tolerantiæ documentis eum imbuens. Et pòst: *Si quidem ipse post Cæsarem Octauianum labantem disciplinam incuriâ superiorum Principum retinuit, exemplo etiam virtutis suæ cæteros adhortatus.* Et sub finem: *Equitauit, ambulauitque plurimùm: armisque & pilo se semper exercuit. Venatu frequentissimè leonem manu suâ occidit.*

CONSVL TERTIVM. Hadrianus equo sedens protensâ dextrâ, vt pacificatoris habitu vel orationem habentis: siue symbolum statuæ ipsi decretæ, vt suprà eiusdem statua Tab. XVIII.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL TERTIVM. ÆTERNITAS AVGVSTI. Dea Æternitas dextrâ solis, sinistrâ lunæ capita præfert, æternitatis symbola, quia ea sidera æterna putabant. Suprà pag. 61. simile ferè scema in Româ sedente. Virgilius:

——— *æternaq; sidera testor.*

IMPERATOR CÆSAR, TRAIANVS HADRIANVS, AVGVSTVS. Traiani nomen à patre adoptatiuo mutuatũ, in cuius nomen & familiam transierat.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL TERTIVM. Imago Neptuni cum tridente seu fuscinâ & dextrâ acrostolion nauis ferens. Gratiam Neptuno hoc numo effigie eius cuso referre videtur ob prosperum maritimæ peregrinationis cursum. Vide simile ferè emblema suprà Tab. XII. siue quod ei diuo redux, statuâ positâ, votum soluerit.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL TERTIVM. Imago Iouis ſtantis cum fulmine & haſtâ purâ. Iupiter & plurimùm Imperatoribus cultus & honoris cauſsâ numis expreſſus, quia, vt ait Horat. carm. III.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis,
Clari gigantæo triumpho,
Cuncta ſupercilio mouentis.

Iterùm Roma ſpoliis inſidens, haſtæ innixa, & victoriolam dextrâ prætendens, inſcriptione ſimili præcedenti.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL SECVNDVM. CONCORDIA. Imago Concordiæ ſedentis, dextrâ pateram habet, ſiniſtro brachio trophæo ſeu ſpoliis, & cornucopiæ ſuffulta. Sedet vt ſecura, & quieta: pateram tenet, vt per pacem cum hominibus pacis cum diis conciliatrix. Spoliis & copiæ innititur, vt mater victoriarum & felicis affluentiæ. Deſignat autem concordiam Hadriani & L. Ælij Veri, qui adoptiuus filius Hadriani.

TABVLA XXII.

Continet honores IVLIÆ SABINÆ *vxori* HADRIANI *delatos, &* L. ÆLII *ab* HADRIANO *adoptati.*

IVNONI REGINÆ. Sabina habitu Iunonis velata cum haſtâ & paterâ, adſtante pauone: ſiue ipſius Iunonis, quaſi tutelaris Sabinæ. Congruum viſum, vt regina deorum, Imperatricem mortalium in clientelam acceptet: ſiue hæ



hæ omnes sint Statuæ Sabinæ positæ, dearum habitu, & per adulationem, comparatione.

SABINA AVGVSTA. Sabinæ effigies, minutis oculis, superciliis adductis, naso acuto, ægrè cum Hadriano conuenientis: quod refractariæ indolis signum putatur. Fuit autem Matidiæ maioris filia, minoris soror, & à Traiano Hadriano desponsata, *quam vt morosam & asperam dimissurum se fuisse Hadrianus dicebat, si priuatus fuisset.* Spartianus. Quamquam illa in Hadriani insolens & immane, vt dicebat, ingenium culpam dissidiorum domesticorum transferret. *Defuncta est paullò ante obitum Hadriani, non sine fabulâ veneni dati ab Hadriano.* Auctore Spartiano. Sed Victor tradit: *Huius vxor Sabina, dum propè serulibus iniuriis afficitur, ad mortem voluntariam compulsa est. Quæ palam iactabat, quàm immane ingenium pertulisset: & elaborâsse, ne ex eo, ad humani generis perniciem, grauidaretur.*

VESTA. Deæ Vestæ imago, vel Sabina habitu deæ. Sedet hastata, velata, & palladium dextrâ tenens: designatur Sabinæ castitas, aut erga Vestam peculiaris cultus.

Succedit alia imago Sabinæ, habitu Cereris: siue ipsius deæ, quæ facem sinistrâ tenens, dextrâ spicas, cumeræ seu vasi stramineo, quo frumenta & fruges condi solent, insidet. Adscribitur ei hoc emblemate accepta annonæ abundantia, & frugum copia.

Sequitur altera Vestæ deæ imago, sine inscriptione: siue eadem sit Statua Sabinæ posita.

LVCIVS ÆLIVS CÆSAR, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL ITERVM. CONCORDIA. Concordia dea ſedet vt ſuprà Tab. præcedenti, cornucopiæ ſuffulta, propter conſentientem filij adoptiui cum patre Hadriano adfectum. Similis numus & Tab. ſeq. in Antonino. Tribunitia poteſtas communicata, indicat Imperij conſortium. De Conſulatu ſecundo: Spartian. *Adoptatus autem Ælius Verus ab Hadriano, eo tempore, quo iam vt ſuperiùs diximus, parum vigebat, & de ſucceſſore neceſſariò cogitabat: ſtatimq; Prætor factus & Pannoniis dux ac rector impoſitus, mox Conſul creatus. Et quia erat deputatus Imperio,* ITERVM CONSVL *deſignatus eſt.*

L. ÆLIVS CÆSAR. Imago L. Ælij barbati ad exemplum Hadriani, quem anteà Ceionium Commodum dictum Hadrianus inuitis omnibus adoptauit, quondam ſibi formâ commendatum, eumque L. Ælium Verum appellauit. Spartian. *Anteà L. Aurelius Verus dictus, ſed ab Hadriano in Æliorum familiam tranſſcriptus.*

TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL ITERVM. PIETAS. Dea Pietas aris adſtat cum paterâ. Virtutem dilaudat, quâ piè parentem adoptiuum eſt proſecutus, aut & ſacrificia, ob hanc cauſam ab ipſo diis oblata.

PANNONIA. Pannonia ſtolata & vexillum militare præferens, turrito, vt apparet, capite. Spartian. de Hadriano: *L. Ælium Verum Cæſarem appellatum prætura honorauit, & ſtatim Pannoniis impoſuit, decreto Conſulatu cum ſumptibus: eumdem ſecundum Conſulem deſignauit. Ob eius adoptionem ludos Circenſes dedit, & donatiuum populo & militibus expendit.* Vide & alium Spartiani locum ſuprà.

TA-

TABVLA XXIII.

ANTONINI PII *numiſmata.*

PACI PERPETVÆ. Virgo caduceum dextrâ, & Oleæ ramum ſiniſtrâ geſtans. Pacis hæc eſſe Symbola nemo ignorat; innititur autem columnæ, vt firmam ſolidamque Pacem denotet. Fuiſſe autẽ Antoninum Pium pacis ſtudioſiſſimum & pauca bella geſſiſſe docet Iulius Capitolinus in eius vitâ. *Tantum ſanè auctoritatis apud exteras gentes nemo habuit, quum ſemper amauerit pacem, eouſque vt Scipionis ſententiam frequentarit, quâ ille dicebat, Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere.* Et infrà: *Soluſque prope Principum, prorſus ſine ciuili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet vixit.*

IMPERATOR TITVS ÆLIVS CÆSAR HADRIANVS ANTONINVS. Effigies Antonini Pij ſub initium Imperij & adoptionis, quâ poſt mortem L. Ælij ab Hadriano adoptatus eſt. De quo Spartianus: *Hadrianus mortuo Ælio Vero Cæſare ingruente triſtiſſimâ valetudine adoptauit Arrium Antoninum, qui poſteà Pius dictus eſt.* Nomen *Hadriani* ab adoptiuo patre aſſumptum.

AVGVSTVS, PIVS, PONTIFEX MAX. TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL DESIGNATVS ITERVM. Imago Pietatis, vaſculum ſeu acerram, ſeu chartaceum thuris receptaculum manu tenentis, aſtante arâ. Alludere videtur ad cognomentum *Pij*, de quo vide Capitolinum in vitâ ſub initium: vbi quinque cauſas recenſet quarum aliquâ vel pluribus inductus Senatus eum titulo Pij ornauerit. Placet mihi

Card. Baronij Tomo III. Annal. Eccleſ. ſententia, qui ideò maximè Pium appellatum putat, quod Hadrianum mori cupientem, ſublatis omnibus mortis inſtrumentis, & occaſionibus impeditis, fictiſque etiam miraculis, velut cælitus animatum, viuere diutiùs piè coëgerit: cùm naturâ filij etiam ſoleant interdum parentum, quò ſummâ rerum potiantur, optare mortem.

PROVIDENTIÆ DEORVM. Fulmen telum Iouis, ſupremam auctoritatem & Imperium deſignat. Antiquis celebritatem nominis & auſpicium rerum illuſtrium ſignificabat: apud Ægyptios amplitudinem gloriæ & famæ toto terrarum orbe diffuſam. Refert Capitolinus in vitâ Pij: *Fulgur cælo ſereno ſine noxâ in eius domum venisſe, & id vt Imperij omen acceptum*: ad quem caſum exprimendum, hunc numum ſignatum autumo, & fulgur apud Capitolinum pro fulmine poni cum Caſaubono ſentio. Fulmen etiam teſte Ammiano, ab aruſpicibus *conſiliarium* vocabatur, quod eius indicio credebant Principibus præſagiri rerum euentus.

IMPERATOR T. ÆLIVS ANTONINVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL DESIGNATVS ITERVM. CONCORDIA. Concordiæ ſedentis typus, ſtatuæ alicui, fortè Spei brachio innixæ. Ferè ſimilis imago eius ſuprà in Hadriano & Vero. Symbolum pacifici in Pio animi, quo inter Senatum & Imperatorem, vel inter patrem & filium adoptiuum, vel denique inter ipſum & Fauſtinam coniugem mutuus animorum & voluntatum conſenſus notatur. Nam & alij numi extant ab vno latere Fauſtinam habentes, ab altero Concordiam.

IMPE-

IMPERATOR ITERVM. ANCILIA. Forma anciliorum, quæ erant ſcuta Marti conſecrata, quæ tempore regis Numæ è cælo lapſa putabantur, aut ſaltem vnum ex iis, ad cuius formam alia affabrè facta fuerunt, ne poſſent internoſci. Videndus ſuper iis Plutarchus in Numâ Pompilio: *Annum iam octauum regnante Numa*, &c. Virgil. Æneid. VIII. in ſcuto Æneæ dicit, expreſſa à Vulcano iſta, quæ propriè ad ſacra Romanorum pertinebant & pignora Imperij.

Hinc exſultantes Salios, nudoſq; Lupercos
Lanigeroſq; apices, & lapſa Ancilia cælo.

ANTONINVS AVGVSTVS, PIVS, PATER PATRIÆ, IMPERATOR ITERVM, TRIBVNITIA POTESTATE VICESIMVM, CONSVL QVARTVM. Victoria currens cum palmâ & laureâ, de Britannis per legatum deuictis.

TRIBVNITIA POTESTATE XXI. CONSVL QVARTVM. Dea ſalus cum paterâ & ſerpente. Serpentem Æſculapio ſacrum colebat antiquitas. Fortè quia ſenectam cutis ſuæ quotannis exuit, vt ſenium & languorem valetudinis homo conualeſcens. Ipſum etiam Æſculapium ſerpentis formâ colebant, quâ de re faceta narratio eſt, Æſculapij formâ ſerpentis recèns nati in Paphlagoniâ, & callidiſſimi commenti in fictis eius oraculis, apud Lucianum Dialogo qui inſcribitur, Alexander, ſeu Pſeudomantis. Æſculapium autem hunc deum ſub ſpecie ſerpentis Romam Epidauro aduectum, qui in inſulâ Tiberinâ celebre templum habuit: ab Antonino Pio ſuperſtitiosè cultum indicat etiam tabula quædam fictorum miraculorum, quæ eius tempore (& vt Cardinalis Baronius ſuſpicatur, etiam commento) accidiſſe narrantur, ex ruderibus quondam eius templi eruta, & adhuc Romæ exſtans in ædi-

bus

bus Maffæorum aut Farneſiorum, quæ & à clariſſ. mem. viro Iuſto Lipſio in Antiquis inſcript. Smetij relata eſt fol. 29. Porrò Salutis ſimulachrum vide ſimile Tab. XXXVIII. & ſup. Tab IX. & infrà XXIX. & XXXII. vbi ſtantis ad aram habitu XXX. atque XXXIX. vbi ſedentis eſt expreſſa.

ANTONINVS AVGVSTVS, PIVS, PATER PATRIÆ, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL TERTIVM, IMPERATOR ITERVM. Victoria in haſtâ trophæum fixum protendens. Iul. Capitolinus: *Per legatos ſuos plurima bella geſſit. Nam & Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, & Mauros ad pacem poſtulandam coëgit, & Germanos, & Dacos, & multas gentes, atque Iudæos rebellantes contudit per Præſides ac Legatos.*

TABVLA XXIIII.

Iterum ANTONINI PII *numiſmata.*

CONSVL TERTIVM, TRIBVNITIA POTESTATE. Imperator in quadrigâ triumphans, dextrâ ſceptrum, & in eo aquilam prætendens, liberos in curru ante ſe collocatos habet, proprios quidem etiámnum paruulos ex Fauſtinâ ſuſceptos, quando ſic moris erat, vt prætextati liberi à parentibus in currum triumphalem aſſumerentur. Nonnemo tamẽ exiſtimet eſſe iſtos filios adoptiuos Annium Verum, & M. Antoninum, de quibus Spartianus in Hadriano: *Mortuo Ælio Vero Cæſare, Hadrianus ingruente triſtiſſimâ valetudine adoptauit Arrium Antoninum, qui poſteà Pius dictus eſt, ſed eâ demum lege vt ille ſibi duos adoptaret, Annium ſcilicet Verum Ælij Veri filium, & M. Antoninum (fratris vxoris ſuæ ſcilicet filium) qui Aurelius*

Aurelius dictus, quod ita factum, vt Antoninus primò adoptatus, L. Verum sibi adoptare sit iussus. Vt idem Spartianus in Vero: *Eius* (scilicet Ælij Veri) *filius est Antoninus Verus, qui adoptatus est à Marco.* Et Capitolinus in Antonino Pio: *Adoptionis lex huiusmodi data est, vt quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita sibi adoptaret M. Antoninum fratris vxoris suæ filium, & L. Verum, Ælij Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium, qui posteà Verus Antoninus est dictus.* Vbi legendum videtur: *Et iste L. Verum.* Ex loco eiusdem Capitolini in Marco: *Amitæ Marci virum Antoninum Pium Hadrianus eâ lege in adoptionem legit, vt sibi Marcum Pius adoptaret, ita tamen vt & Marcus sibi L. Commodum adoptaret.* De Tribunitiâ potestate idem Capitolinus: *Adoptatus quinto Kalendas Martias, factusq; est patri & in Imperio proconsulari, & in tribunitiâ potestate collega.*

ANTONINVS AVGVSTVS, PIVS, PATER PATRIÆ, TRIBVNITIA POTESTATE XXIII. Pij effigies laureata. Capitolinus. PATRIS PATRIÆ, *nomen delatum à Senatu, quod primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit.*

PIETATI AVGVSTI, CONSVLIS QVARTVM, Imago Pietatis deæ siue charitatis, tribus liberis seu puellis cinctæ, & orbem seu pomum gestantis. Designat beneficam eius naturam etiam in alimentis, pauperum liberis attributis clarescentem. Idem Capitolinus refert: *Antoninum Pium puellas alimentarias in honorem Faustinæ Faustinianas constituisse.* Siue ipsa hîc Faustina Pietatis habitu sit expressa, & vt Venerem etiam referat, pomo Eridis instructa.

LÆTITIA, CONSVLE QVARTVM. Videtur esse Imperator in cœnatoriâ veste, vxorem Faustinam amplexus, &

illa lætitia publica designari, quæ fuit, quando Faustina à Senatu AVGVSTA est appellata. Nam ad nuptias eorum tempus referri non permittit: nisi velimus hîc exprimi matrimonium inter filiam eius Faustinam, & Marcum Aurelium celebratum summâ lætitiâ. De quâ Capitolin. *Nuptias filiæ suæ Faustinæ, quum Marco Antonino eam coniungeret, vsque ad donatiuum militum celeberrimas fecit.* Aut fortè Cereris & Veneris amplexus mutuus, quia altera persona videtur spicis, altera pomo insignis, interpreterque annonæ copiam, accedente Imperatricis venustæ indulgentiâ & liberalitate, lætitiam publicam peperisse, siue illa longioris fili sit dea Tranquillitas, quæ propria Imperatori huic attribuitur infrà Tab. sequenti. hac eâdem ferè formâ, etsi ibi adiunctum sit gubernaculum. Propiùs vero alij putant esse has Faustinam matrem & filiam, illam habitu Cereris cum spicis, ad designandam eius fecunditatem: alteram cum pomo, vt Venerem, ad designandam eius formam & venustatem.

ANTONINVS AVGVSTVS, PIVS, PATER PATRIÆ, TRIBVNITIA POTESTATE XV. CONSVL QVARTVM. Imperator togatus orbem tenens. Pacis potiùs consiliis, & togæ magis quàm belli artibus, ad tranquillitatem Imperij conseruandam Pium Principem delectatum signat. Puto tamen esse Statuæ memoriam ei positæ.

LIBERALITAS AVGVSTI TERTIA. Sedet Imperator in sellâ curuli pro tribunali, siue in suggestu: adstatque ei Vbertas siue Liberalitas tabulam vel tesseram donatiui, seu frumentariam prætendens, & cornucopiæ iustructa: ipsa autem cuidam sinum pandenti aliquid inspargere videtur. Capitolinus: *Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ*



quæ pater promiserat. Iterumque posteà: *Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit.* Nota: *de proprio,* quod mirè auget gratiam liberalitatis.

ANTONINVS AVGVSTVS, PIVS, PATER PATRIÆ, TRIB. POTEST. CONSVL TERTIVM.

AVRELIVS CÆSAR, AVGVSTVS, PII FILIVS, CONSVL. Imago M. Aurelij Antonini ab auersâ parte patri adoptiuo adpositа, de cuius Consulatu Capitolinus: *Marcum Antoninum Quæstorem, Consulem, petente Senatu, creauit: & quidem secum, cùm tertium ipse Consulatum iniret.*

LIBERALITAS QVARTA. Bis eadem inscriptio. In vnâ, ipsa Vbertas cornu Amaltheias in sinum adstantis effundit: in alterâ, ipse Imperator, vt suprà, missilia spargit. Capitolin. *Vini, olei, & tritici penuriam per ærarij sui damna emendo, & gratis populo dando, sedauit:* quæ omnia Liberalitatem eius testantur.

TABVLA XXV.

Continet ANTONINI PII *suprema elogia, & honores.*

PAX AVGVSTA. CONSVLE QVARTVM. Pacis typus, quæ cornucopiæ ferens, face succensâ arma & spolia hostium comburit. Conuenit cum togato Pacificatoris, suprà, habitu, & cum plusculis aliis eius numis titulo PACIS inscriptis. De quo eius pacifico ingenio Capitolinus in vitâ testimonium perhibet, quod à Regibus Barbaris plu-

rimum illi honoris delatum sit, multaſque regales cauſas & controuerſias terminauerit. Itemque *quod* (eximio elogio) *ſolus omnium propè Principum prorſus ſine ciuili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet, vixerit, Numæ non immeritò comparatus, felicitatis, ſecuritatis, & pietatis exemplo.* Et Victor. *Orbem terræ nullo bello per annos viginti tres, auctoritate ſolâ rexit.*

TEMPLVM DIVI AVGVSTI RESTITVTVM, CONSVLE QVARTVM. Templum ipſum, in cuius acroteriis duæ victoriæ, & quadriga, & intus duæ ſtatuæ, fortè Auguſti & Liuiæ Diuorum.

TRANQVILLITAS AVGVSTI. Ipſa dea ſpicis inſtructa in teſſeram abundantiæ, quæ tempore pacis viget, cùm, vt Poëtæ verſum eo flectam,

——— *dignus aratro*
Surgit honos, rident numeroſis arua colonis.

& gubernaculum, in ſignum prudentis Imperij tenens. Capitolin. *Tantum ſanè auctoritatis apud exteras gentes nemo habuit, cum ſemper amauerit pacem, eouſque vt Scipionis ſententiam frequentaret, quâ ille dicebat; Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere.* Et iterùm de tranquillo Prouinciarum Statu: *Prouinciæ ſub eo cunctæ floruerunt, quadruplatores extincti ſunt.* Cui virtuti & Aurelius Victor peculiare hoc elogium tribuit: *Planè docuit* (Pius) *eo demum fortunatas Vrbes fore, ſi regna ſapientiæ.* Ex Platone in Epiſtolâ, & Cicerone interprete.

CONSVL QVARTVM. Dextræ iunctæ, caduceum cum ſpicis complexæ. Deſignant fidem, concordiam, & ex eâ publicam annonæ laxitatem, felicemque rerum abundantiam.

CON-

CONSVL QVARTVM. Videtur eſſe ſtatua togata, Imperatori pacis & togæ artibus laudatiſſimo. Honoris ergò poſita cum ſceptro & aquilâ, & flore lilij, ſiue herbâ, bonæ ſpei teſſerâ: ſuprà tectum columnis ſuis innixum, ſiue cælum tum augendæ maieſtati, tum arcendæ aëris iniuriæ. Capitolinus de hac ſtatuâ fortè intelligendus, vbi dicit in vitâ: *Statuam auream delatam à Senatu* (Pius) *poſitam ſuſcepit.*

ÆTERNITAS. Dea Æternitas velato capite, dextrâ manu caput virile ſolis radiis diſtinctum, ſiniſtrâ verò muliebre cum luna, gerens: ad pedes verò Ara cum foco poſita. Apud veteres præcipuum æternitatis Symbolum erant Sol & Luna, quia ſecundùm Ægyptiorum placita, duo hæc ſydera perpetua ſunt rerum elementa, quippe virtute ſuâ inferiora omnia fœcundant. Fortè etiam referri poteſt ad Antoninum Pium & vxorem Fauſtinam iam conſecratos, vt Antoninus ſolis radiis ornatus, Fauſtina verò Lunâ inſignita ſit. vtrique verò ſacrificaretur, quod Ara cum igne ſatis declarat.

MVNIFICENTIA AVGVSTI CONSVLIS QVARTVM. Elephas in retis morem cute variegatâ. Sunt hæ beſtiæ teſſera munerum venationumque, ac ludorũ Amphitheatralium & Circenſium exhibitorum. Capitolinus: *Ad indulgentias proniſſimus fuit. Edita munera, in quibus elephantos, & crocutas, (ſiue corocotas) & ſtrepſicerotas, & crocodilos etiam, atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum, cum tigridibus exhibuit: centum etiã leones vnâ miſſione edidit.*

DIVVS ANTONINVS. Effigies Antonini in diuos poſt mortem relati, graui vultu, & ad inſtar ferè Iouis. Ceſſant omnes alij tituli in hac inſcriptione, quia mors humanis titu-

lis, vt Imperiis finem imposuerat, & sceptra iam ligonibus æquauerat. Capitolin. *A Senatu diuus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus: cum omnes eius pietatem, clementiã, ingenium, sanctimoniam, laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores, qui optimis Principibus antè delati sunt. Meruit & flaminem & Circenses, & templum & sodales Antoninianos.*

Sequitur sine inscriptione DIVI ANTONINI ESSEDVM in ludis Circensibus à quatuor elephantis tractum, scutis ornatum vt spoliis, in cuius sellâ Antonini statua humanâ maior togata, sine inscriptione. Estque hoc quod Capitolinus suprà citatus, tangit, *De Circensibus* ei decretis: *curribus* scilicet & transuectionis pompis.

DIVO PIO. Columna ei à M. Aurelio posita, & in summo statua ipsius. Ista columna titulo Antoninianæ, etiámnum hodie Romæ spectatur, gestis & victoriis eius & M. Aurelij distincta. P. Victor Regione vrbis nonâ: *Templum diui Antonini cum cochlide columnâ, quæ est alta pedes centum septuaginta quinque, habet intus gradus ducentos & sex, & feneſtellas quinquaginta sex.* Notissimum in Vrbe antiquitatis monumentum, & nunc colosseâ diui Pauli deaurata ex ære statua impositâ, gloriæ Doctoris gentium (vt Traiani columna Principis Apostolorum) auctore Sixto quinto ritè consecrata. *Vt* (Card. Baronij verba cito) *vbi olim, à Marco statutum Pio parenti fuerat simulachrum, ibidem illius, qui ad veram pietatem Vrbem excoluit, & Gentiles* CHRISTO *subegit, ob præstantissimum virtutis meritum, signum nobilissimum cerneretur.*

CONSECRATIO. Rogus est funebris, velis, aulæis, statuisque ornatus, de cuius ritu & pompâ videre est apud Herodianum

dianum lib. IIII. vbi agit de Seueri funere: & postquam rogi huius formam & ornatum graphicè descripsit, addit: *Mox ab extremo minimoq; tabernaculo, tamquam è fastigio quodam simul cum subiecto igne aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipsam Principis animam deferre.* Sed & Dio in vitâ Seueri, de exequiis Pertinaci solutis, sic narrat de hoc ritu: *Ita in campum Martium venimus. Hic extructus erat rogus instar turris formâ triangulari, ebore & auro, ac nonnullis statuis ornatus. In summo eius currus inauratus, quo Pertinax olim vehebatur, collocatus erat. In hunc rogum conjectis primùm iis, quæ allata erant parentandi causâ, lectus impositus est. Pòst Seuerus propinquiq; Pertinacis, Statuam eius osculantur. Quo facto Imperator tribunal conscendit, nos Senatores, exceptis Magistratibus, in tabulata conscendimus, vt tutò simul & commodè spectaremus ea quæ gererentur. Magistratus & Equestris ordo collocati sunt ex ordine, vt cuiusque dignitas postulabat. Hic confecere milites, equites atque pedites circum rogum cursus vrbanos & conflictos: iisque peractis cursibus, Consules rogum incenderunt. Quod cum esset factum, aquila ex rogo euolauit. Itaque Pertinax immortalitate donatus est.*

CONSECRATIO. Aquila iam dicta hîc exhibetur basi siue aræ insidens, quæ est symbolum consecrationis ritè peractæ: de quâ alij fusiùs. Porrò hac aquilâ animam Imperatoris in cælum ferri, idque, aliquo saltem visum à se asserente, mentiri & populo obtrudere solere gentiles, Iustinus Philosophus & Martyr, qui Imp. Antonino in Vrbe claruit, atteſtatur; hisce ad ipsum Antoninum Christianâ libertate habitis verbis: *Sed cur morientes apud vos Imperatores semper immortalitati consecrare dignamini, producentes quempiam, qui iureiurando confirmet vidisse se è rogo ascendere in cælum ardentem Cæsarem?*

TA-

TABVLA XXVI.

Continet honores potiſsimùm FAVSTINÆ, PII *vxori, poſt mortem delatos.*

VOTA PVBLICA. Imperator togatus dextram Fauſtinæ flammeolo velatæ, porrigens, adſtante, vt appareret, Pietate ſeu Concordiâ, vota concipere videtur pro matrimonij felici ſucceſſu.

DIVA FAVSTINA. Caput Fauſtinæ iam in deas receptæ. De quâ Capitolinus in Pio: *Tertio anno Imperij ſui vxorem Fauſtinam perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque templo, & flaminicis, & ſtatuis aureis, atque argenteis: cùm etiam ipſe hoc conceſſerit, vt imago eius cunctis Circenſibus poneretur.* Qui ferè honores omnes hac tabulâ exhibentur.

FAVSTINIANÆ PVELLÆ. Stat Imperator Pius in ſuggeſtu & fiſcum ante ſe adpoſitum ſeu menſam habet, adſiſtente ex aduerſo muliere, aliâque adſtante. Infrà ſiſtunt ſe parentes liberorum filias ſuas offerentes, quas ex publico Princeps alebat: more iam ab ipsâ tum Liuiâ Auguſti vſurpato, cui mortuæ arcum à Senatu decretum tradit Dio, inter cætera, *eo quòd multorum liberos educâſſet, multos in elocandis filiabus adiuuiſſet: vnde nonnulli matrem patriæ eam cognominauerunt.* Hac de re Capitolinus in vitâ Pij: *Puellas alimentarias in honorem Fauſtinæ Fauſtinianas conſtituit.* Et iterùm in vitâ Marci, dicit illum quoque in honorem vxoris Fauſtinæ defunctæ (quæ huius erat filia) *nouas puellas Fauſtinianas inſtituiſſe.* Plura de his Philippus Rubenius Electorum lib. II. cap. XXXVI. quem virum erudi-

eruditissimum simul & modestissimum amicum nostrum candidissimum immaturâ morte notisque omnibus luctuosâ nuper ereptum, ciuitati Antuerpiensi, (cuius Senatui ab epistolis & secretis fuit) fata ostendisse tantùm contenta, vsum eius porrò & fruitionem si minus inuidisse, interuertisse studio videntur, ne tam absoluta ingenui, vt maximè, pectoris, orisque virtus diutiùs præmio in cælis debito careret. Saluete pij Manes, & Æterni visione beatissimâ æternùm perfruimini.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. Carpentum Faustinæ diuæ à multis tractum, ludis Circensibus: siue thensa instar tabernaculi contecta, in quâ ipsam non alterius diuæ, sed propriâ specie traductam autumo, & quasi in viuis ageret, bigâ suâ vectam.

ÆTERNITAS. Faustinæ statua habitu diuæ in Essedo triumphali sedentis, & in pompâ Circensi à duobus Elephantis phaleratis vecta, aurigantibus Mauris: quod innuit Capitolinus; verbis, *delatis Circensibus curribus*. Consimili bigæ Elephantorum impositam effigiem Drusillæ sororis Caligula in theatrum inuexit, natali eius anniuersario die, vt notat Dio, lib. LIX.

ÆTERNITAS. Alter Faustinæ currus Circensis, habitu deæ Cybeles turritæ, & crotalum ferentis, atque à leonibus vectæ.

ÆTERNITAS. Templum diuæ Faustinæ quod Senatus decreuit, loriculâ ad imum limen munitum, cuius hodie etiámnum reliquiæ extant Romæ inter monumenta antiqui-

tatis : in cuius medio ſtatua eius baſi inſidens haſtata. De eo ſuprà hac Tabulâ ex Capitolino.

DIVA AVGVSTA FAVSTINA. Fauſtinæ iam diuæ caput, diuarum inſtar velatum.

CONSECRATIO. Quadriga in quâ Fauſtinæ ſtatua, ludis Circenſibus exhibita. Haſtata, alio tamen adſtante, qui lora equorum temperet & regat.

CONSECRATIO. Pauo auis Iunonia: quod ſymbolum deſignat eam Imperij conſortem Iunonis deæ dignitati accenſendam.

CONSECRATIO. Fauſtina ſeptem ſtellis coronata, & haſtata pauonis remigio, vt Ganimedes quondam, & ſuprà Imperator Pius, alijque in diuos relati, aquilæ, in cælum fertur.

LVNA INTER STELLAS SEPTEM, Sine inſcriptione. Putem Fauſtinam hoc ſymbolo Dianæ comparari, vel deſignari ipſam cælo adſcriptam illuſtri gloriâ emicare, *Velut inter ignes Luna minores*. Extat ad hunc ſenſum alius ei cuſus numus cum hoc elogio: *Diua Fauſtina Pia ſideribus recepta, Senatuſconſulto.*

TA-

TABVLA XXVII.

Continet Numiſmata MARCI AVRELII ANTONINI, *laudeſq́, & elogia florenti eius ætati & optimæ indoli per adulationem à Senatu & populo Romano attributa, nec à vero multùm aliena.*

IVVENTVS. Imago Iuuentutis, id eſt, ætatis viri iam abſoluti, & bello florentis, ſeu potiùs ipſius Aurelij cum haſtâ & lauru, in paludamento, ponè adſtante trophæo. Vide Tab. ſeq. eodem habitu.

AVRELIVS CÆSAR AVGVSTVS, PII FILIVS, CONSVL. Similem inſcriptionem habuimus ſuprà Tab. XXIIII. Imagini patris Antonini ex auersâ parte numiſmatis, cum effigie adpoſitam. Eſt autem iſte M. Aurelius Antoninus, ex ſeriâ tractatione ſtudiorum & ſapientiæ, cognomentum *Philoſophi* ſortitus, cuius Libri XII. extant de vitâ ſuâ græcè conſcripti, interprete Gul. Xylandro. Editum eſt etiam volumen titulo Horologij Principis, itemque Epiſtolarum M. Aurelij, à D. Antonio de Gueuara, Epiſcopo Hiſpano, ſed commentitia illa ſunt, & nomine tenùs M. Aurelij conficta ab auctore: vt & alij obſeruauerunt.

IVVENTAS. Imago Iuuentæ ſiue Iuuentatis propter floridam Aurelij adoleſcentiam. Eſt autem dea Iuuentutis præſes, pateram ſiniſtrâ tenet, dextrâ neſcio quid in catinum ſiue labrum adſtans inſpargit. Hanc Græci Heben vocant, & Herculi nuptam fabulantur. Horat. odâ XXX. lib. I. ad Venerem:

Et parùm comis ſine te Iuuentas,
Mercuriuſque.

VOTA PVBLICA. Simile emblema tabulâ præcedente in Fauſtinæ numo. Fortè honore nuptiarum eius vota ſuſcepta, quando Fauſtina minor cum dote Imperij in manum Marci Aurelij conuenit.

HILARITAS. Dea lætitiæ præſes, cornucopiæ, & ramum palmæ videtur tenere. Palma in altum adſurgens gloriæ ſymbolum eſt; cornu, opulentiæ. Ex gloriâ & diuitiis accedente Iuuentutis flore, ſtabilimentum Hilaritati.

TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL ITERVM. CLEMENTIA. Clementiæ typus: pateram dea tenet & ſinum pandit, velut refugium offerens oppreſſis. Deſignat mores Principis benignos, & indolem clementem. De Tribunitiâ poteſtate, atque de ſecundo Marci Conſulatu Capitolin. *Pius Marcum Conſulem ſecum deſignauit, & Cæſaris appellatione* (quæ ſuprà) *donauit*, &c. *Secundum etiam Conſulem deſignauit cùm ipſe quartum iniret. Poſt hæc Fauſtinam Pij filiam duxit vxorem, & ſuſceptâ filiâ, Tribunitiâ poteſtate donatus eſt*: id eſt, ſucceſſor declaratus, & Imperij ex eâ horâ conſors.

TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL ITERVM. Pallas galeata, haſtaque & clypeo inſtructa. Minerua autem paſſim tutelare ſignum huius Principis, tamquam ſapientiæ decretis operam nauantis & eruditiſſimi. Vnde & Philoſophi titulus illi delatus: quod Stoicam ſectam vitâ & ſermone omni, ſeriò ſemper ſit profeſſus.

PIE-

PIETAS AVGVSTI. Inſtrumenta ſacrificiorum, culter popæ, aſpergillum, guttus, lituus, & capeduncula: prout etiam ſuprà alibi, in Iulio, & aliis. Fuit autem à teneris, ſi quis alius, gentilitiæ ſuperſtitionis cultor obſeruantiſſimus: quippe, *qui* (vt ait Capitolinus) *octauo ſuæ ætatis anno ab Hadriano in Saliorum collegium relatus eſt, & in Saliatu functus eſt ſacerdotio, & præſul & vates fuit, & magiſter, & nonnullos inaugurauit, & exaugurauit, nemine præeunte, quòd ipſe carmina omnia didiciſſet.* Quâ ſui in deos cultus fiduciâ, cùm Fauſtina per litteras eum ad vindicandam Caſſij & Caſſianorum conſpirationem excitâſſet, inter alia hæc reſcripſit: *Eſto igitur ſecura, Dij me tuentur, Dijs pietas noſtra cordi eſt.* quod refert Vulcatius in vitâ Caſſij. Quin & Pius eum adhuc adoleſcentem inter ceteros attributos honores, *In collegia ſacerdotum, iubente Senatu, recepit.* Capitolinus.

TRIBVNITIA POTESTATE SEPTIMVM, CONSVL ITERVM. Simulachrum Virtutis cum parazonio & Victoriolâ, vt ſuprà Tab. VII. in Nerone. Dextrum brachium cum mamillâ nudum habet, ſiue vt Amazonem referat, ſiue potiùs vt oſtendat, veram virtutem aperto Marte & pectore non inuoluto ad honorem & victoriam graſſari, nec fraudibus aut fallaciis confidere, Leonino animi robore, non Vulpeculæ technis inſtructam.

CONCORDIA. TRIBVNITIA POTESTATE TERTIVM, CONSVL SECVNDVM. Dea Concordia, quæ togatos duos ſinu veſtis complectitur, Marcum ſcilicet, & L. Annium Verum, deſignatque illos ſingulari animorum conſenſu vixiſſe coniunctos. Spartianus eâ de re: *Verus certè cum Marco æquale geſſit Imperium. Nam ipſi ſunt qui primò duo Auguſti*

appellati sunt, & quorum fastis Consularibus sic nomina præscribuntur, vt dicantur non tantum duo Antonini, sed duo Augusti: tantumq; huius rei & nouitas, & dignitas valuit, vt fasti Consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulum. Et iure, quia insuetum Orbi exemplum in Imperij communicatione nullam interueniſſe æmulationem: contra illud vulgò tritum; *Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.* Et vt Lucanus ait: *Omnis q; potestas impatiens consortis erit:* quod in Romulo & Remo fratribus apparuit, itemque in Iulio Cæsare & genero eius Pompeio Magno. Addit Capitolinus de hac concordiâ: *Post excessum diui Pij à Senatu coactus reg.men publicum capere, fratrem sibi participem in Imperio designauit: Cæsarem q; atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Rempub. regere.*

TABVLA XXVIII.

Continet insuper honores varios MARCO AVRELIO *sub initium Imperij attributos.*

HONOS. Simulachrum honoris togati iuuenili formâ: & laurum dextrâ, cornucopiæ sinistrâ ferentis. Valuit hoc Imperatore illud Ciceronis votum;

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

AVRELIVS CÆSAR, AVGVSTVS, PII FILIVS, TRIBVNITIA POTESTATE TERTIVM, CONSVL ITERVM. Figura stolata, dextrâ spicas, sinistrâ canistrum frugum tenet. Fortè Cereris simulachrum, in testimonium vbertatis annonæ. Quâ de re breuiter Capitolinus: *De alimentis publicis multa prudenter egit.* Et iterùm: *Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex Vrbe donauit, omniq; frumentariæ rei cõsuluit.* Et paulò pòst: *Rei frumentariæ gnauiter prouidit.*

TRI-

TRIBVNITIA POTESTATE VNDECIMVM, CONSVL ITERVM. Virtutis bellicæ simulachrum cum parazonio & hastâ, vt suprà aliquoties. Designare potest Marcum virtutis merito, non fortunæ indulgentiâ prouectum, illudq; Horatij in eo locum habuisse:

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secureis
Arbitrio popularis auræ.

AVRELIVS CÆSAR, ANTONINVS, AVGVSTVS, PII FILIVS, TRIBVNITIA POTESTATE VNDECIMVM, CONSVL ITERVM. Figura stolata stans, quæ dextrâ pateram, sinistrâ lyram tenet, vt volunt. Musarum est vna. Fortè Polyhymnia. De qua Horat. odâ 1. lib. 1.

—— nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbyton.

RELIGIONI AVGVSTI, IMPERATORIS ITERVM, CONSVLIS TERTIVM. Mercurius caduceum & pateram tenens, & petasum in capite. Religionem Aurelij designat erga Mercurium facundiæ præsidem. De caduceo, Mercurij virgâ, Horat.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaq; leuem coërces
Aureâ turbam, superis deorum
Gratus, & imis.

Vide & Tab. XLII. infrà.

CONCORDIÆ AVGVSTORVM, TRIBVNITIA POTESTATE XV. CONSVLE TERTIVM. M. Aurelius, & L. Ve-

L. Verus togati dextras iungunt, fidei & concordiæ designandæ. De concordiâ eorum etiam suprà Tab. præcedente dictum.

TRIBVNITIA POTESTATE XIX. IMPERATOR ITERVM, CONSVL TERTIVM. Marcus Imperator stat inter signa militaria, cum paludamento, & hastam tenens. Apparatus est rei bellicæ, siue expeditionis in Parthos. Capitolinus: *Missо L. Vero ad bellum Parthicum, ipse Marcus omnia quæ ad bellum erant necessaria Romæ positus & ordinauit, & disposuit.*

IMPERATOR SEPTIMVM, CONSVL TERTIVM. Tiberis fluuius nauim iuxta se habens non rostratam, sed quales hoc flumen ferre solet, aut fortè in memoriam Iani aut Saturni, ad ea loca flumine Tiberi subuecti, aut eius quod tangit Capitolinus: *Interpellauit* (inquit) *felicitatem securitatemque Imperatoris prima Tiberis inundatio, quæ sub illis* (M. & V) *grauissima fuit: quæ res & multa Vrbis ædificia vexauit, & plurimum animalium interemit, & famem grauissimam peperit: quæ omnia mala Marcus & Verus suâ curâ & præsentiâ temperârunt.*

IMPERATOR SEXTVM, CONSVL TERTIVM. Marcus Imperator dextrâ fulmen, & siniſtrâ hastam tenens, coronatur à Victoriâ. Fulmen supremam potestatem designat, vt sit quasi Iuppiter in terris. Victoriæ monumentum de Armeniis, Parthis, aut Germanis, quia de his alij insuper numi extant simili inscriptione.

IMPERATOR OCTAVVM, CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ. DE GERMANIS. Trophæum de Germanis, sedentibus infrà viro & fœminâ captiuis. Capitolinus

linus in vitâ Marci: *Eo tempore & Catthi Germaniam & Rhetiam irruperant, & contra Catthos Aufidius Victorinus miſſus eſt.* Sed peculiariter hoc trophæum de victoriâ belli Marcomannici capio, de quo Capitolinus: *Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt Marcomannicum, quod diu eorum qui aderant, arte ſuſpenſum eſt, vt finito iam Orientali bello, Marcomannicum agi poſſet.* Et paucis pòſt verbis: *Fratre poſt quinquennium reuerſo, in Senatu egit Marcus, ambos neceſſarios dicens bello Germanico Imperatores. Tantus autem terror belli Marcomannici fuit, vt vndique ſacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Vrbem luſtrauerit, celebrauerit & Lectiſternia Romano ritu per ſeptem dies.* Et paulò pòſt: *Contra Germanos res feliciter geſsit. Specialiter ipſe bellum Marcomannicum, ſed quantum nullâ vmquam memoriâ fuit, tum virtute, tum felicitate tranſegit.* De nomine Patris patriæ, idem: *Patris patriæ nomen delatum fratre abſente in eiuſdem præſentiam diſtulit.* Et paulò pòſt: *Poſteáquam autem à Syriâ Victor frater redit, Patris patriæ nomen ambobus decretum eſt, quum ſe Marcus, abſente Vero, erga omnes Senatores, atque homines modeſtiſsimè geſsiſſet.*

TABVLA XXIX.

Proſequitur geſta & honores M. AVRELII ANTONINI.

IMPERATOR MARCVS ANTONINVS, AVGVSTVS. *Antonini* cognomen ab Antonino Pio adoptatus accepit. *Marci* prænomen quando cum L. Vero Imperium adminiſtrare æquo iure cœpit: anteà deſignatus ſuperioribus numis ſolo titulo *Aurelij.*

M PON-

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE XVIII. IMPERATOR ITERVM, CONSVL TERTIVM. ARMENIA. Sedet Armenia lugens arcu depoſito,& ponè adſtat trophæum fixum de ſpoliis Armeniorum. Capitolin. *Geſtæ ſunt res in Armeniâ proſperè, per Statium Priſcum, Artaxatis captis: delatumq; Armeniaci nomen vtrique Principum, quod Marcus per verecundiam primò recuſauit, poſteà tamen recepit.*

SALVTI AVGVSTORVM. TRIBVNITIA POTESTATE DECIMVMSEPTIMVM. Salutis ſimulachrum Æſculapio in formâ ſerpentis ſacra facientis pro ſalute Auguſtorum. De quo emblemate ſuprà dictum ad Tabulam XXIII.

TRIBVNITIA POTESTATE XVIII. CONSVL TERTIVM. Imperator in quadrigâ triumphali, ſceptrum tenens cum aquilâ, vt ſuprà aliàs. Capitolinus: *Poſteáquam à Syriâ victor frater rediit, corona ciuica oblata eſt ambobus, petiitq; Lucius vt ſecum Marcus triumpharet.* Sunt autem vtriuſq; triumpho cuſi ſeparatim numi, hac eâdem formâ.

ANTONINVS AVGVSTVS, ARMENIACVS. De titulo Armeniaci à Senatu delato dictum ſuprà hac Tabulâ.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIÆ POTESTATIS XVIIII. IMPERATOR ITERVM, CONSVL TERTIVM. Victoria alata clypeum votiuum ſuper arbore palmæ fixum tenet, in quo inſcriptum VICTORIÆ AVGVSTI. De Armeniâ eſſe videtur, ex titulo vultus ex aduerſo poſiti. Sed & alius numus extat ab Abr. Ortelio productus in Parergo Tab. Germaniæ hac formâ, ſed clypeo illo votiuo ſuper abietis trunco recumbente, cum litteris in clypeo: VIC. GER. id

id eſt, *Victoria Germanica*, ſiue *Victis Germanis*. Eſt autem abies ſaltibus Germaniæ frequentiſſima, quò fortè & hic numus refertur: etſi in numo Ortelij inſcriptum TR. P. XXV. E IMP. VI. COS. III. Tangit hoc breuiter Capitolinus hiſce verbis: *Contra Germanos res feliciter geſſit*. Et de bello Marcomannico, quod ſuprà citauimus.

IMPERATOR OCTAVVM, CONSVL III PATER PATRIÆ, DE SARMATIS. Arma ſunt & ſpolia Sarmatarum. Capitolin. in vitâ: *Triennio bellum cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis etiam geſſit: & ſi anno vno ſuperfuiſſet Prouincias ex his feciſſet.*

PONT. MAX. TRIBVNIT. POT. XX. IMPERATOR III. CONSVL III. Simulachrum Felicitatis, cornucopiam & caduceum tenentis, & globum pede prementis. Caduceus concordiam ſignat: copia, ex concordiâ natam, orbe ſubacto, hanc Imperij Romani populiq́ue publicam felicitatem. Reuerendiſſimus Antonius Auguſtinus per caduceum bona cæleſtia intelligit; per cornucopiæ, bona temporalia, Dialogo ſecundo, vbi etiam de caduceo Mercurij plura adfert.

PRIMI DECENNALES, CONSVLE TERTIVM. Hæc eſt corona illa ciuica, quæ illi delata eſt à Senatu, vt ſuprà hac Tabulâ ludis primis decennalibus, qui redditi videntur ex votis publicè ſuſceptis, ob ſalutem Principum, & Reipublicæ feliciter continuatam.

M. ANTONINVS AVGVSTVS, ARMENIACVS, PARTHICVS, MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE XX. IMPERATOR QVARTVM, CONSVL TERTIVM.

Alia forma Victoriæ ſtantis iuxta truncum ſeu arborem palmæ, & palmæ ramum tenentis, cum clypeo votiuo, in quo hæc verba: VICTIS PARTHIS. Incidit actus à Marco Aurelio & L. Vero triumphus huius victoriæ in annum V.C. D. CCCC. XVIII. Seruilio Pudente II. & Pollione Conſulibus, Parthico bello poſt quinquennium abſoluto, tot enim annis durâſſe hoc bellum auctor eſt Capitolinus in Marco. Eſtque ſextus ordine de Parthis actus triumphus, teſte Euſebio in Chronico.

TABVLA XXX.

Continet numiſmata in honorem FAVSTINÆ, ANTONINI PII, *&* FAVSTINÆ *maioris filiæ, quæ* MARCI *vxor fuit, cuſa.*

FAVSTINA AVGVSTA, PII AVGVSTI FILIA. Effigies Fauſtinæ, vt formâ conſpicuæ ita moribus degeneris, cuius vitia ita maritus tulit, vt ea nec curioſiùs inueſtigaret, nec puniret. Caput habet baccato velut diademate, ſeu lineâ ex margaritis concinnatâ cinctum, quod antè non vſitatum. Capilli in gradus contorti formæ & venuſtatis lenocinium oſtentant.

VENVS. Fauſtina Veneris habitu: quod inde colligo quia veſtita eſt, nec vel pectore tenus (quod Veneris proprium) nuda, pomum aureum dextrâ gerens, ſiniſtrâ gubernaculum habet & delphinem, an fortè quòd Venus mari orta per hæc marina ſymbola deſignetur; ſeu quòd Delphinus, animal φιλάνθρωπον temoni illigatus, amorem deſignet gubernacula rerum



rum tenere: ſeu quòd conſilia amatoria prudenter directa celeritate gaudeant, morâ lenteſcant. Memini Romæ adiuncto delphini hoc ſcemate Venerem è marmore ſculptam obſeruâſſe, ſed nudam.

IVNONI LVCINÆ. Iuno haſtata & diuarum inſtar velata, vt Imperator Ioui comparatur, ita coniux eius Iunoni reginæ, & Lucinæ, quia ſæpiùs mater, & partus experta verſum illum vſurpare potuit; Parturientum

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

CONCORDIA. Symbolum concordiæ coniugalis inter Marcum & vxorem, quando ei impudicitiæ famâ laboranti Marcus non minus ſe facilem & indulgentem præbuerit. Sinum ſtolæ ſuæ expandit, & cornu abundantiæ præfert, quod vbi concordia ſit, ibidem & felicitas, azylum, atque vbertas.

VENVS. Alia Veneris forma cum pomo & haſtâ purâ, ſeu Fauſtina deæ habitu.

VENERI GENITRICI. Venus infantem faſciis illigatum tenens, Fauſtinæ venuſtatem & fecunditatem deſignat.

FECVNDITATI AVGVSTÆ. Imago Fecunditatis ſiue ipſius Fauſtinæ, multiplici vtriuſque ſexus prole cinctæ. De eâ Herodianus refert eam mares duos genuiſſe, Commodum & Veriſſimum, & quatuor filias. Tangit idem Capitolinus: *Eniſa eſt Fabia vt Fauſtinâ mortuâ in M. Antonini matrimonium coiret, ſed ille concubinam ſibi adſciuit, Procuratoris ſui filiam, ne tot liberis ſuperduceret nouercam.* Suſcepit autem Marcus ex

Fauſtinâ filios tres: Commodum, qui imperauit, Antoninum geminum, qui eodem cum Commodo partu natus, quadrimus periit, & Verum, qui obiit anno ſeptimo, quem Veriſſimum Herodianus vocat, qui gemellum Commodi ignorauiſſe videtur.

IVNONI LVCINÆ. Iuno liberos tollens & parturientium præſes. Hoc numo expreſſior videtur vultus, & filum corporis Fauſtinæ.

SALVTI AVGVSTÆ. Salus ſedens cum paterâ & ſerpente Æſculapij, aræ circumuoluto. *Auguſtam* dictam puto (vt & ſuprà fortunam) quod priuatim ſic ab Auguſtâ, ſiue in larario expreſſa haberetur, aut coleretur: ſiue quod ipſa Fauſtina Auguſta, Salus publicæ rei haberetur.

HILARITAS. Matrona dextrâ palmæ ramum ad terram dimiſſum, ſiniſtrâ cornucopiam gerit. Palma Hilaritatis, partâ iam de hoſtibus victoriâ, Symbolum, tunc enim publica lætitia celebratur: cornucopia verò abundantiam, quæ victorias ſolet comitari, ſignificat.

TA-

TABVLA XXXI.

Adhuc FAVSTINÆ *honores.*

MATRI CASTRORVM. Sedet Fauſtina haſtam puram ſiniſtrâ, auiculam, corollam portantem, pomoque inſidentem dextrâ tenens. Videtur autem eſſe habitus Veneris ob pomum & haſtam, & columbam, quo filo corporis ſuprà expreſſa eſt, ſignis ante pedes defixis: ſiue auiculam pro phœnice ſumere placet, eo quod ipſa in hoc officio maritum in caſtris ſequendi ſingularitatem præferat, ſeu magis pro cornice in teſtimonium concordiæ. Titulus iſte ei tributus, quando virum ad bellum proficiſcentem ſecuta eſt, & caſtris interfuit non tantùm hybernis, ſed & æſtiuis. Capitolin. DIVAM *etiam Fauſtinam Marcus à Senatu appellatam gratulatus eſt, quam ſecum in æſtiuis habuerat, vt* MATREM CASTRORVM *appellaret.* Eumdem titulum vſurpauit Victoria, quæ à Trebellio Pollione inter triginta tyrannos enumeratur, mulier generoſi animi, & virilibus curis à fœminarum vitiis exſoluta.

MATRI MAGNÆ. Fauſtina habitu deæ Cybeles matris deûm, turrita ſedet cymbalum tenens, & leonibus ſuis ſtipata: vt ſuprà etſi paullò alio ſcemate, matris ſtatua producta eſt Circenſibus, Tab. XXVI.

VENERI VICTRICI. Fauſtina ſcemate Veneris Marti abblandientis, meritò victricis, cui Mars ipſe victor & hoſtium domitor per pellaciam ſuccumbit. Indicat mariti Aurelij in eam indulgentiam ſuprà relatam, quamuis ille

le non Martialis, etsi & virum & ducem se bello Germanico ostenderit.

AVGVSTI PII FILIA. Faustina habitu Dianæ stolatæ arcu & sagittâ instructa.

CONCORDIA. Seu columba est, blandiri & concordiam coniugalem, etsi non semper fidem, seruare nata auis: siue potiùs cornix symbolum apud veteres concordiæ, cuius cum compare incontaminatam seruari fidem tradunt: vt docet Ælianus, & Angelus Politianus in Miscellaneis.

FAVSTINA AVGVSTA, AVGVSTI PII FILIA. Variis semper capillorũ cincinnis formæ suæ gratiam ostentat, quia singulis numis diuerso cultu expressa: quod autem se *Augusti filiam* inscribit: innuit non se titulum dignitatis tam accepisse à marito quàm illi per matrimonium conciliâsse, & contulisse.

VENVS. Eadem figura, quæ suprà Tab. præcedenti.

CONSECRATIO. Symbola sunt Faustinæ in diuas relatæ. Sella cum velo, seu lectulus: siue potiùs puluinar deorum, hasta pura, & pauo. Capitolinus in Marco: *Faustinâ subito morbo in radicibus montis Tauri exanimatâ, petiit à Senatu vt honores ei ædemque decerneret, laudatâ eâdem, cùm tamen impudicitiæ famâ grauiter laborâsset, quæ Antoninus vel nesciuit, vel dissimulauit.* Notate autem magnam cœcitatem in homine, qui Stoicam Philosophiam profiteretur, & gentiliũ deorum cultum insano studio promoueret, tantæque prudẽtiæ & virtutis Imperator esset: impudicam vxorem, adulteram & proteruiâ morum inso-

insolentem habuit, habuisse se sciuit, & cùm repudiare vellet, ideò retinuit, quod diceret: *Si repudiamus uxorem, reddamus & dotem*. Dos autem erat Imperium illo coniugio partum: eam mortuam compositâ laudatione prosequitur, ei petit diuinos honores, impetrat, decernit: quamque flagitiis infamem, tegendæ tamen ignominiæ suæ, tolerauerat viuam, mortuam pro deâ colit, colendam decernit: cor & pectus Philosophi!

DIVÆ FAVSTINÆ PIÆ. Faustina habitu diuæ velato capite.

CONSECRATIO. Eadem pauoni insidens velato capite, & hastam puram gerens ad cælos inferri videtur. Idem ferè suprà expressum in Faustinâ maiore.

TABVLA XXXII.

Sequuntur L. AVRELII VERI *numismata.*

FORTVNA AVGVSTI. Fortuna est cum cornucopiâ, & nauis clauo. cæca gentilitas res omnes humanas, fortunâ regi credebat, dum maximas Imperiorum mutationes casu sæpè fieri obseruauit. Quâ de caussâ nauis clauum illi appingunt, tamquam omnium rerum regimen: cornucopiam etiam adiungunt, quòd ex bona Principum gubernatione, omnium abundantia solet prouenire.

IMPERATOR CÆSAR LVCIVS VERVS AVGVSTVS. Effigies est L. Veri, qui à Marco Aurelio particeps Imperij factus simul cum illo præfuit, dictus à Capitolino L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus, de quo idem Capitoli-

nus: *Defuncto Pio Marcus in eum omnia contulit, Principatu etiam Imperatoriæ potestatis indulto, sibiq; consortem fecit, cum illi soli Senatus detulisset Imperium. Dato igitur Imperio, & indultâ Tribunitiâ potestate, Proconsulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, cùm anteà Commodus vocaretur.*

SALVTI AVGVSTORVM. TRIBVNITIA POTESTATE TERTIVM, CONSVL II. Dea Salus stat sacrificantis habitu pro salute Principum. Quod puto referri ad eũ annum, quando simul Consules fuerunt Marcus Aurelius III. Verus II. Serpens autem ille aram spiris suis inuoluens, popitium est numen Æsculapij.

Sequenti numo Verus manum porrigit Romæ sedenti super spoliis, sine inscriptione. Seu fidem Reipub. datam intelligimus, seu mutuam ad Romanorum præsidium opem, operamque.

IMPERATOR CÆSAR L. AVRELIVS VERVS, AVGVSTVS. Aurelij nomen à patre adoptiuo Marco sumptum, Augusti ex participatione Imperij, de quâ dictum suprà.

CONCORDIÆ AVGVSTORVM, CONSVL II. Marcus & Verus togati dextras iungunt in symbolum cõcordiæ. Capitolin. de secundo Consulatu Veri: *Post quæsturam statim Consul factus, cum Sextilio Laterano: interiectis annis cum Marco fratre iterum factus est Consul.*

PROFECTIO AVGVSTI. TRIBVNITIA POTESTATE ITERVM, CONSVLIS II. Sedet Verus equo, armatus loricâ & hastâ. Profectio hæc, fuit expeditio ad bellum Parthi-

Parthicum, quod Vero in Antiochenâ ciuitate luxui & delitiis se dante, & Laodiceæ hiemem, Æsatem apud Daphnem agente, Duces Statius Priscus & Auidius Cassius, ac Martius Verus quadriennio confecerunt: ita vt Babyloniam & Mediã peruenerint, & Armeniam vindicarint: vnde Vero partum nomen *Armeniaci, Parthici, Medici*, notant historici.

L. VERVS AVGVSTVS, ARMENIACVS, TRIBVNICIA POTESTATE QVARTVM, IMPERATOR ITERVM, CONSVL ITERVM. Titulus Armeniaci illi à Senatu delatus. Symbolum Victoriæ Veri, & hostem pilleatum, seu tiarâ Armeniacâ tectum, in terrâ prostratum iaculo impetentis.

TRIBVNITIA POTESTATE QVINTVM, IMP. III. Sedet captiua Armenia, vt suprà in Marco Tab. XXIX. Communicatæ victoriæ numus communis est.

TRIB. POT. IIII. IMPERATOR II. CONSVL II. REX ARMENIIS DATVS. Sedet Verus pro tribunali adstantibus duobus, & regem Armenium diademate coronat. Capitolinus: *Confecto sanè bello, regna regibus, Prouncias verò Comitibus suis regendas dedit. Romam inde ad triumphum rediit, inuitus, quòd Syriam quasi regnum suum relinqueret.*

VICTORIA AVGVSTI, TRIBVNITIA POTESTATE SEXTVM, CONSVLIS II. Victoria pilleata aduolãs, & diadema gemmatum ferens, siue sertum lemniscatum ad Veri caput condecorandum, quod proprium hactenus laureæ coronæ decus non ambiuerat, aut numi ostendunt.

TABVLA XXXIII.

LVCILLA VERI vxor, & COMMODVS ANTONINI F.

LVCILLA AVGVSTA, ANTONINI AVGVSTI FILIA. Lucillæ Marci ex Fauſtinâ filiæ, quam Vero in matrimonium dedit. De quâ ſic Capitolin. *Verus ab Hadriano, Marco Aurelio datus eſt adoptandus, cùm ille ſibi Pium filium, Marcum nepotem eſſe voluiſſet, poſteritati ſatis prouidens, & eâ quidem lege, vt filiam Pij Verus acciperet, quæ data eſt Marco idcirco, quia hic adhuc impar videbatur ætate. Duxit autem vxorem Marci filiam Lucillam.* Quomodo autem arrepta fuerit à dæmone hæc Lucilla antequam Lucio traderetur, & ab Epiſcopo Hierapolitano ad preces M. Aurelij liberata; leges apud Card. Baronium Tomo Annalium III. Anno CHRISTI C.LXIII.

PVDICITIA. Dea verecundiæ & caſtimoniæ præſes, velo vultum obtegit, deſignat Lucillæ caſtitatem, quantumuis ipsâ matre nihilo continentior fuiſſe perhibeatur.

PIETAS. Sedet Dea Pietas velato capite ex acerrâ tus capiens, atque in flammam aræ appoſitæ infundens: quæ verbenis aut ſertis cincta videtur. Dilaudare videtur Lucillæ pietatem, patris & auiſui æmulam.

CONCORDIA. Dea ſedens pateram tenet, ſiniſtrâ ſtatuæ ſpei innititur, quæ ſtolæ ſuæ ſyrma eleuat, ante ſe poſitum habens cornucopiæ, ferè vt ſuprà Tab. xxx.

PIE-



PIETAS. Adstat aræ dea, seu Lucilla habitu eius, & ex acerrâ tus digitis depromptum in ignem mittit. Hic est ille actus quem Gentiles tantis tormentis à Christianis exprimere satagebant, vnde qui cesserunt suppliciis, *mittentes*, id est tus in foculum honori deorum imponentes dicebantur.

VOTA PVBLICA. Corona laurea votis publicis dedicata, ob salutem Principum: siue ipsius Lucillæ, siue corona vtrique Augustorum à Senatu delata. De quâ suprà in Marco.

IVVENTAS. Iuuentæ Dea dicebatur Iuuentas, Græci Heben vocarunt; in honorem L. Ælij Aurelij Commodi iuuenis & imberbis adhuc nummus hic percussus. Inter Romanorũ numina non postremum locum Iuuentas habuit, caussam reddit D. Augustinus lib. IIII. de Ciuitate Dei cap. XXIX. *Nam illud quale est, quod paulò antè commemorauit, pulcherrimum auspicium fuisse dixerunt, Martem & Terminum & Iuuentatem, ne Ioui Regi Deorum, locum cedere voluisse. Sic enim, inquiunt, significatum est, Martiam gentem, id est Romanam, nemini locum quem teneret daturam; Romanos quoque terminos, propter Deum Terminum neminem commoturum: Iuuentutem etiam Romanam propter Deam Iuuentatem nemini esse cessuram.* Plinius etiam lib. XXXV. cap. X. refert in Capitolio fuisse ædem Iuuentatis siue Iuuentutis, de Nicomacho pictore. *Pinxit hic raptum Proserpinæ: quæ tabula fuit in Capitolio, in Mineruæ delubro, supra ædiculam Iuuentatis.*

COMMODO CÆSARI, AVGVSTI FILIO, GERMANICO. Imago L. Ælij Aurelij Commodi viuente patre imberbis. *Germanicus* dictus ob expeditionem cum patre in Germanos susceptam & Marcomannos.

PRINCIPI IVVENTVTIS. Is titulus Imperatorum liberis tribui antè iam tunc solitus. Stat autem Commodus cum hastâ & lauri ramo, & post eum trophæum positum. Lamprid. in vitâ eius: *Cooptatus inter tres solos* (seu *trossulos*, vt clarissimæ mem. Iustus Lipsius emendat, in Electis) *Principes Iuuentutis, cum togam sumpsit adhuc in prætextâ puerili congiarium dedit, atque ipse in Basilicâ Traiani præsedit. Profectus autem in Germaniam cum patre* XIIII. *Kalend. Alias, vt postea nominauit, togam virilem accepit, cum patre appellatus Imperator, quinto Kalendas Exuperatorias, Pollione iterum & Apro Consulibus*, &c.

HERCVLI ROMANO CONDITORI CONSVLI VII. PATRI PATRIÆ. Commodus Herculis habitu iuuencos iungit. Romani, teste Varrone, locum, quem coloniæ siue oppido condendo designabant, aratri sulco ducto circumscribebant, quod à tauro & vaccâ trahebatur. *Oppida*, inquit, *condebant in Latio multa Hetrusco ritu, id est, iunctis bobus, tauro scilicet & vaccâ interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causâ die auspicato, vt fossa & muro essent munita. Terram vnde exsculpserant fossam vocabant, & introrsum reiectam, murum. Posteà quod fiebat orbi, Vrbs.* Virg. v. Æneid.

Interea Æneas vrbem designat aratro.

Plutarch. de Romulo Romæ conditore, ad quod hîc respicit Commodus: *Deinde in figuram orbis circumscripsit vrbem. Ipse autem Princeps condendæ nouæ vrbis aratro vomere æreo præfixo, iunctisque sexu dispare bobus, eos agens, fixis terminis profundum circumdabat sulcum.* Dio in vitâ eius: *Multa cognomina sibi sumpsit Commodus, sed præsertim Herculis: Romamq; immortalem, fortunatam, Coloniam orbis terrarum appellauit. Volebat enim omnino Vrbem suam esse coloniam. Ad hæc ei statua aurea mille librarum cum tauro & vaccâ facta*



facta est. Quæ fortè hoc numiſmate deſignatur, quod mihi veriſimile eſt.

COMMODVS ANTONINVS AVGVSTVS. Laureata eius effigies.

TRIBVNITIA POTESTATE VII. IMPERATOR QVARTVM, CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ, LIBERALITAS QVINTA. Commodus congiarium populo præbens. Lampridius: *Congiarium dedit populo, ſingulis denarios ſeptingentos vicenos quinos, circa alios omnes parciſſimus fuit, quòd luxuriæ ſumptibus ærarium minuerat.*

TABVLA XXXIIII.

Continet effigies eorum, qui, occiſo COMMODO, *variis Orbis partibus Imperium affectauerunt. Nam vno eodemque tempore poſt* PERTINACEM, *(qui authore Albino interemptus eſt)* IVLIANVS *à Senatu & Prætorianis Romæ,* SEPTIMIVS SEVERVS *in Illyrico,* PESCENNIVS NIGER *in Oriente,* CLAVDIVS ALBINVS *in Galliâ, Imperatores appellati fuerunt.*

IMPERATOR CÆSAR CAIVS PESCENNIVS NIGER IVS AVGVSTVS. Effigies Peſcennij Nigerij ſiue Nigri, qui formâ traditur fuiſſe decorus, oris verecundi, ac ſemper rubidi, ceruice adeò nigrâ, vt ab eâ Nigri cognomen accepiſſe tradatur. Ælius Spartianus de eo: *Imperium adfectauit, veniente ad Orientem Seuero, Græciam, Thraciam, & Macedoniam, interfectis multis illuſtribus viris, tenens, ad participa-*

tum

tum Imperij Seuerum vocauit: à quo, causâ eorum quos occiderat cum Æmiliano hostis est appellatus. Deinde à Ducibus Seueri per Æmilianum pugnans victus est, iterumq; pugnauit & victus est, vulneratusque ad Seuerum deductus statim mortuus apud Cyzicum, caputq; eius pilo circumlatum.

BONÆ SPEI. Spei simulachrum, vt suprà aliàs, herbam porrigit. Designat Rempub. sub Commodo afflictam hoc Duce in meliorem spem excitari, sed spei defuit successus.

IMPERATOR CÆSAR PVBLIVS HELVIVS PERTINAX, AVGVSTVS. Iste post occisum Commodū à Prætorianis & Læto Præfecto eorum, Imperator factus; vir bonus & Imperatoriâ staturâ, ingenio & corpore valens, senex & vsum rerum habens, cùm multa simul corrigere occiperet, quæ fiebant sine ordine & modo, breui pòst tempore ab iisdem qui eum creauerant, occisus est in Palatio, conscio Didio Iuliano.

PROVIDENTIA DEORVM, CONSVL ITERVM. Adstat Prouidentia cælitus Orbis Imperium demissum velut acceptans. Alij numi stellam habent positam, loco, quo hîc Orbis. Designat, deorum decreto Imperium sibi delatum.

IMPERATOR CÆSAR DIDIVS IVLIANVS AVGVSTVS. Iste senex & moribus vitiosis Imperium à militibus nundinatus, fidem iis non seruauit: quare contemptus, & militibus atque populo odiosus factus, atque à Senatu Imperio ei abrogato, per gregarium militem, ex iis qui ad eum occidendum missi erant, miserè trucidatus est, Imperij sui mense secundo.

RECTOR

RECTOR ORBIS. Iuliani imago togati & Orbem dextrâ tenentis, quod signum, Imperij Romani sibi crediti super orbem terrarum se curam pacis artibus auspicaturum: siue quòd Romæ Imperium adeptus, vbi & Imperatoris habitus, toga.

MANLIA SCANTILLA AVGVSTA. *Iulianus*, vt ait Lampridius, *à Prætorianis Imperator factus, habitâ concione militari, vespere in Senatum venit, totumq; se Senatui permisit: factoque S.C. Imperator est designatus, & tribunitiam potestatem, Ius proconsulare, in Patricias familias relatus emeruit. Vxor eius Manlia Scantilla, & filia eius Didia Clara*, AVGVSTÆ *sunt appellatæ.* Ipso pòst interfecto, corpus à Seuero vxori Manliæ ad sepulturam est redditum, & in proaui monumento collocatum.

IVNO REGINA. Siue dea Iuno, siue Manlia habitu diuæ cum hastâ purâ, patera & pauone, vt suprà aliàs.

IMPERATOR CÆSAR, DECIMVS CLODIVS SEPTIMIVS ALBINVS, AVGVSTVS. Iste ex nobilitate Romanâ fuit, staturâ procerus, capillo renodi, & crispo, fronte latâ. *Albinus dictus*, vt ait Capitolinus, *quòd exceptus vtero contra consuetudinem puerorum, qui nascuntur, esset candidissimus.* Fuit à Seuero in fratrem electus, & consortem Imperij, sed fraudulentior posteà à Senatu hostis iudicatus, & contra Seuerum aduerso prælio pugnans fugit, & seipsum percussit, aut à seruo suo percussus semiuiuus ad Seuerum deductus obiit.

SÆCVLO FECVNDO, CONSVL ITERVM. Telluris fortè imago, seu genij terræ præsidis, capite turrito, spicas cum caduceo gerit, & siue anchoram, siue tridentem inuersum in formam litteræ T. Alij exprimunt hîc Mercurium,

& radiatum ei verticem appingũt. Anchora ſtabilitatem terræ deſignat, ſuo pondere fixam ac ſolidam. Ouid.

Stat vi terra ſuâ.——

Caduceus concordiam & pacem, ſpicæ vbertatem denotare videntur.

SEVERVS PIVS AVGVSTVS. Effigies Lucij Septimij Seueri, qui Afer natione poſt Albinum Nigerium, & Pertinacem deuictos, Imperium obtinuit, *decorus vultu, corpore ingẽs, promiſſâ barbâ, criſpo canoque capite, vultu reuerendus:* vt à Spartiano deſcribitur.

VICTORIÆ BRITANNICÆ. Victoria gradiens cum trophæo, & captiuum puerum trahens. Spartianus: *Britanniam, quod maximum eius Imperij decus, muro per tranſuerſam inſulam ducto, vtrumque ad finem Oceani muniuit: vnde etiam Britannici nomen accepit.*

TABVLA XXXV.

Adhuc SEVERI, *&* GETÆ *eius filij Numiſmata.*

FVNDATOR PACIS. Seuerus velato capite togatus, vt ſacris operaturus, vt pacator Orbis oliuæ ramum geſtans ſiue lauri, pace toto Imperij limite poſt deuictos aduerſarios ſtabilitâ. Referri etiam poteſt ad illud quod Spartianus notat hiſce verbis: *Poſt murum apud vallum miſſum in Britanniâ, quum ad proximam manſionem rediret, non ſolum victor, ſed etiam in æternum* PACE FVNDATA, *voluens animo quid omnis ſibi occurreret, æthiops quidam è numero militari claræ inter ſcurras famæ, & celebratorum ſemper iocorum, cum coronâ è cupreſſu factâ eidem*

eidem occurrit: quem cùm ille iratus remoueri ab oculis præcepiſſet, & coloris eius tactus omne & coronæ; dixiſſe ille dicitur ioci causâ, TOTVM FVISTI, TOTVM VICISTI, IAM DEVS ESTO VICTOR: id eſt, morere & inter diuos aſſcribere.

SEVERVS AVGVSTVS, PARTHICVS, MAXIMVS. Spartianus: *Circa Arabiam plura geſsit, Parthis etiam in ditionem redactis, necnon etiam Adiabenis, qui quidem omnes cum Peſcennio ſenſerant, atque ob hoc reuerſus triumpho delato appellatus eſt Arabicus, Adiabenicus, Parthicus.*

RESTITVTOR VRBIS. Sacrificat Seuerus haſtatus & coronatus, cum thorace & paludamento. Spartianus: *Opera publica præcipua eius extant Septizonium & thermæ Seuerianæ*, quia *præcipua* dicit, colligitur etiam ignobilioribus reſtaurationum operibus, Vrbem ornâſſe.

AFRICA. Perſona Africæ cum proboſcide elephantis, vt ſuprà. Spicas ſinu expanſo oſtentat, aſtante vel leone vel cercopitheco, quos vulgò bauianos vocant. Spartianus: *Ad Africam legiones miſit, ne per Lybiam & Ægyptum Niger Africam occuparet, ac populum Romanum penuriâ rei frumentariæ perurgeret.* Africa quondam horreum Romanum, ob frugum copiam.

ÆQVITATI AVGVSTORVM. Æquitatis ſiue Themidis typus, quæ dextrâ libram, ſiniſtrâ præfert cornucopiæ, ſignãs Iuſtitiâ florere regna, & æquitate abundantiam & vbertatem ſtabiliri. Sub *Auguſtorum* nomine liberos Seueri complectitur, vel ſaltem primogenitum Baſſianum Caracallam, & patrem Seuerum.

LVCIVS SEPTIMIVS SEVERVS, AVGVSTVS, IMPERATOR XI. PARTHICVS MAX. & iterum. SEVERVS PIVS AVGVSTVS, PONTIFEX MAX. TRIBVNITIA POTESTATE NONVM.

ÆTERNITATI IMPERII. Effigies duorum filiorum eius, Caracallæ ſcilicet & Getæ. Puto eò referendum quod Spartianus ait: *Seuerum modeſtiſſimè, cum moreretur, lætatum, quòd duos Antoninos pari imperio Reipub. relinqueret.* Æſtimata eſt perpetuanda Imperio ſucceſſio: ſed ſpes patrem eximiè fefellit, occiſo à fratre Getâ, & pòſt ipſo Caracallâ dolis Opilij Macrini.

IVLIA PIA FELIX AVGVSTA. Spartian. de hac ſecundâ vxore Seueri ſic ait: *Vxore Martiâ amiſſâ, cùm aliam vellet ducere, genituras ſponſarum requirebat, ipſe quoque Matheſeos peritiſſimus; & cùm audiſſet eſſe in Syriâ quamdam, quæ id genituræ habebat vt Regi iungeretur; eamdem vxorem petijt, Iuliam ſcilicet, & accepit interuentu amicorum, ex quâ ſtatim pater factus eſt. Hanc ipſam famoſam adulteriis tenuit, etiam coniurationis conſciam.* Hæc illa cuius illud infame reſponſum notatur, priuigno Caracallæ datum: *Licet, ſi libet, an neſcis Imperatorem te leges dare, non accipere?*

LVNA LVCIFERA. Iulia habitu Dianæ aurigantis. Imitatur illud Horatij:

——— *micat inter omnes*
Iuliæ ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Comparatio illi cum prioribus Imperatricibus communis, ſuprà Tab. XXVI.

Pv-

PVBLIVS SEPTIMIVS GETA CÆSAR. Spartianus: *Cùm Cteſiphontem ciuitatem, pulſo rege Parthorum, cepiſſet Seuerus, ac plurimos hoſtium interemiſſet, ac Parthicum nomen meruiſſet, ob hoc etiam filium eius Baſſianum, qui Cæſar appellatus iam fuerat, annum decimumtertium agentem, participem Imperij dixerunt milites, Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt.*

NOBILITAS. Typus Nobilitatis, quæ paludamento inſignis haſtam fert & ſtatuam, velut ſtemma Maiorum & proſapiæ. Laudat Getam vt bene natum, & à ſuis non degenerantem.

TABVLA XXXVI.

CARACALLI, PLAVTILLÆ, & MACRINI.

INDVLGENTIA AVGVSTORVM IN CARTHAGINIENSES. Simulachrum eſt Iunonis Tyriæ à leone ſurſum euectæ, quali formâ à Carthaginienſibus colebatur, quam deam cæleſtem vocabant, aliiſque variis nominibus cultam legimus. Dextrâ fulmen tenet, ſiniſtrâ haſtam puram. Apuleius Mileſiarum VI. ad Iunonem: *Siue celſæ Carthaginis, quæ te virginem vecturâ leonis cælo commeantem percolit.* Ponitur autem dea, in cuius tutelâ ciuitas erat, pro ipſa ciuitate, vel pro Symbolo ciuitatis. Numus iſte patris Seueri effigie etiam extat, & in eius atque filij honorem cuſus, & ideo AVGG. ponitur in vtroque numo, id eſt, duorum, patris nempe Seueri, & maioris filij huius Baſſiani Caracallæ. Spartianus: *Tripolim, vnde oriundus erat, contuſis bellicoſiſſimis gentibus ſecuriſſimam reddidit, ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fœcundiſſimum agrum donauit. Itidem Carthaginienſibus complura indulſit.*

Propter quæ beneficia aliaque in Africanos collata, ab Afris, vt ait Spartianus, *vt Deus habitus fuit*. De hac deâ cælesti vide diffusè Abr. Ortelij Theatrum in Parergo Tab. XXXII. Africæ, & Card. Baron. Annal. Eccles. Tomo II. & V.

ANTONINVS PIVS, AVGVSTVS, PONTIFEX, TRIBVNITIA POTESTATE SEPTIMVM. Effigies Bassiani Caracalli iuuenili ætate laureata, quando patris expeditionibus interfuit, iam Imperij consors. Cognomentum Caracalli, seu Caracallæ sortitus est, à veste Caracallâ dictâ, quæ ad talos vsque demittebatur, qualis generis populo donauit.

VICTORIA PARTHICA MAXIMA. Victoria gradiens cum coronâ & palmâ. De hac Victoriâ Spartianus in vitâ: *Debinc per Caduſios fines & Babylonios ingreſſus, tumultuariè cum Parthorum Satrapis manum contulit, feris etiam beſtiis in hoſtes immiſſis. Datiſq; ad Senatum, quaſi poſt victoriam litteris,* PARTHICVS *appellatus eſt. Nam* GERMANICI *nomen patre vivo fuerat conſecutus.*

MINERVA VICTRIX. Minerua haſtata & victoriolam dextrâ prætendens, ponè adstante trophæo. Siue quòd Mineruæ & prudentiæ victoriam partam adscribat; siue quòd fortè in prælio tessera fuerit, MINERVA VICTRIX. Egregij scilicet Principis tutelaris dea Pallas. Sed hoc moris sceleratis, vt fictis rerum se commendent, quia vino, vt aiunt, minùs vendibili, maximè opus suspensâ hederâ.

ANTONINVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Alia effigies Caracalli barbati. De *Antonini* nomine Spartianus in vitâ Seueri: *Poſt oppreſſam Albinianam factionem Cæſarem Baſſianum filium*

lium ſuum ANTONINVM *à Senatu appellari fecit, decretis Imperatoriis inſignibus*. Idem de appellatione *Auguſti. Cùm Seuerus pedibus æger bellum moraretur, idq; milites anxiè ferrent, eiuſq; filium Baſſianum, qui vnà erat* AVGVSTVM *feciſſent, tolliſe, atque in tribunal ferri iuſſit*, &c.

VICTORIA GERMANICA. Victoriæ simulachrum gradientis cum trophæo & coronâ. Huius victoriæ cum patre particeps fuit, cùm Seuerus exercitui Germanico præesset.

ANTONINVS PIVS, AVGVSTVS, GERMANICVS. De Germanici titulo Spartianus in vitâ eius. *Quum Germanos ſubegiſſet* GERMANICVM *ſe appellauit, vel ioco, vel ſerio, vt erat ſtultus & demens, aſſerens ſi Lucanos viciſſet, Lucanicum ſe appellandum*. Consuluerant amici, vt ab eo cognomine se abstineret, quod propter germanum fratrem Getam à se occisum, in dubium sensum posset torqueri, & in contumeliam eius redundare: sed ille gloriolæ vanitate ductus non refugit cognomen ἀμφίσολον amplecti, & quod illi parricidium exprobraret. Vt neque *Pij* cognomen, quod æquè ἀπροσδιόνυσον, homini impietate & crudelitate famosissimo, qui occiso Getâ germano fratre, occidit insuper viginti millia hominum, quasi de Getæ familiaribus, tum militum, tum virorum ac mulierum in Palatio commorantium, & præterea de Senatu multos, & alios ex plebe plurimos, teste Dione.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL QVARTVM, PATER PATRIÆ Imago Iouis cũ fulmine & hastâ purâ. Designat ipsum in terris summo Imperio fungentem, vt alterum Iouem. Hoc autem anno occisus

cisus fuit in itinere prope Edessam. Vide similem suprà Iouem, Tab. XX I.

PLAVTILLÆ AVGVSTÆ. Effigies vxoris Caracallæ. Fuit hæc Plautiani filia, quam primùm in Siciliam relegauit, deinde interemit.

PROPAGO IMPERII. Imperator togatus & Plautilla nudato pectore dextras iungunt, illâ ei in manum conueniẽte. Connubij symbolum est cum omine liberorum Imperio propagandorum, sed, vt euentus docuit, inani: quando vnicam ex eâ filiolam pater susceptam vnà cum matre relegauerit, & ærumnis confici sit passus.

IMPERATOR CÆSAR MARCVS OPELIVS SEVERVS MACRINVS AVGVSTVS. Hic ex Præfecto Prætorio, quarto post interfectum Caracallam die à militibus Imperator creatus est, natione Maurus, sed æquitate & probitate commendatus. Imperium adsecutus, nunc *Seuerum*, nunc *Antoninum* se dici voluit. Historici Opilium vocant, numi Opelium. Spartianus: *Inuasit præter ea nomen* SEVERI, *quum illius nullâ cognatione tangeretur. Vnde iocus extitit: Sic Macrinus est Seuerus, quomodo Diadumenus Antoninus.*

PROVIDENTIA DEORVM. Dea Prouidentia, quâ suprà aliàs formâ designata. Omen felix, non sine numine diuûm Imperium se auspicari indicantis. Sceptro non tangit orbem, ne vim adferre rebus videatur, sed tantùm supernè designat.

TA-



TABVLA XXXVII.

DIADVMENIANI & HELIOGABALI

continet imagines.

PIETAS AVGVSTI. Lituus, culter victimarij, guttus, capeduncula, & aspergillum. Instrumenta sacrorum, vt suprà aliquoties. De quibus vide Gulielm. du Choul lib. de religione veterum Romanorum. Iam tum sacerdotiis ornatus puer spem sui felicem ostentabat, sed breuem & deciduam.

MARCVS OPELIVS ANTONINVS DIADVMENIANVS CÆSAR. Scribit Lampridius in vitâ, quod cùm primùm innotuit occisum esse Bassianum, ingens mœror obsedit omnium pectora, quòd Antoninum in Repub. non haberent, existimantium, quod cum eo Romanum esset Imperium periturum. Id vbi Macrino iam Imperatori nunciatum est, veritus ipse ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pij erant inter Duces, exercitus inclinaret; statim concionem parari iussit, filiumque suum puerum Antoninum appellauit. Habitâ mox patris & filij concione, statim apud Antiochiam moneta ANTONINI DIADVMENIANI nomine percussa est. Puer fuit omnium speciosissimus, staturâ longiusculâ, crine flauo, nigris oculis, naso deducto ad omnem decorem, mento composito, ore ad oscula parato, vt eum Historiæ describunt. Vixit annis sedecim.

PRINCEPS IVVENTVTIS. Stat ipse Diadumenianus inter signa militaria eorumque vnum dextrâ, & sinistrâ Scipio-

nem tenens,& thorace militari indutus, iam in viros adscriptus, titulo Imperatorum liberis iam ante familiari. Innuit eum inter milites primum ab Imperatore locum obtinere, eiusque præsidio legiones Romanorum &cohortes(quas per signa earum intelligit) consistere, & stabiliri.

FELICITAS TEMPORVM. Nauis rostrata remis impulsa, & aquilam in puppi, labarum in medio gubernatoremq; vel Imperatorem ipsum ex altiori loco iussa & munia iniungentem, ferens. De hoc symbolo dictum suprà Tab.xx. Numus est Heliogabali,cuius bono regimini & Imperio felicitatem publicam per adulationem adscribit.

IMPERATOR ANTONINVS PIVS AVGVSTVS. Effigies Marci Aurelij Antonini Elagabali seu Heliogabali, qui Bassiani Caracallæ ex Soëmiade vel Semiamirâ, vt Lampridius vocat,Syrâ matre stupro cognitâ filius fuit: prostibulum hominis, & monstrum naturæ. A militibus Imperator creatus, occiso Macrino,eo titulo gratus, quod Bassiani Antonini filius diceretur. Lamprid. *Antonini nomen sibi adscuerat, Varius antea dictus. Vel in argumentum generis, vel quod id nomen vsque adeò carum esse cognouerat gentibus, vt etiam parricida Bassianus causâ nominis amaretur.* Fuit autem iste in Romano Imperio vltimus Antoninorum.

SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALVS. Stat Elagabalus sacrificantis ritu togatus, & velato capite, pateram super arâ effundens, supra quam stella apparet, solem exprimens. Fuit autem locus in Syriâ seu Phæniciâ, vbi coleretur Sol (Emessæ puto, vt infrà in Aureliano & alibi per Orientem,) eorum linguâ *El* dictus, quasi Deus per excellentiam, *Alah*

gabal, quasi *Deus montis*. Plura de hac appellatione Casaubonus in notis ad Lampridium. Videtur facem vel ferulâ accensam sinistrâ tenere, quod fortè eo ritu apud Syros huic deo sacra fiebant, de quo infrà coniecturam nostram ponimus.

ADVENTVS AVGVSTI. Sedet equo Imperator laureatus, hastam seu iaculum ferens vtrâque parte acutum. Numus cuius in memoriam aduentus, cùm in Syriâ electus Romam iter instituisset. Lamprid. *Nactus Imperium Romam nuntios misit, excitatisq; omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum: quod non solùm titulo, sed in sanguine redditum videbatur; quum se Antoninum Bassiani filium scripsisset. ingens eius desiderio factum est, venitq; paulò pòst Romam.* De hastili geminâ cuspide armato, quod inter arma stipatorum fuisse videtur: Prudentius mentionem habet,dum adolescentem describit, qui inter Iuliani Apostatæ stipatores Christianus præsentiâ suâ impia sacra turbabat:

Armiger è cuneo puerorum flauicomantum,
Purpurei custos lateris deprenditur vnus,
Qui Zoroastræos turbasset fronte susurros.
Nec negat,& gemino *gemmata hastilia* ferro
Proïcit: ac signum CHRISTI *se ferre fatetur.*

An fortè Heliogabalo hoc hastile hîc appingitur, quod ipse aut inuenisset,aut primus vsurpari fecisset à Romanis?

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE ITERVM, CONSVL ITERVM, PATER PATRIÆ. LIBERALITAS AVGVSTI SECVNDA. Sedet Imperator velut missilia spargens,adstante Liberalitate, vt suprà aliquoties. Tituli ridiculi, in eo qui necdum ætate vir quidē erat, aut

esse poterat, vt pater, & quidem patriæ, nuncupetur. De liberalitate eius legitimâ parum admodum annotatum: nisi quod Lampridius de eius congiario siue collato in populum hanc mentionem faciat: *Quum collatum missset in populum, non numos vel argenteos vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, sed boues opimos, & camelos, & asinos, & seruos populo diripiendos obiecit, Imperatorium id esse dictitans.* Prodigalitas luxuriosa portentosis mensæ, popinæ, & fornicis sumptibus omnibus notissima.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE QVARTVM, CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ. Imperator, nudus radiatâ coronâ insignis, pomum ac flagellum tenens, quasi Apollinem, aut Solem aurigantem exprimeret. Nec mirandum, si, qui dei sui nomen adsumpserat, eiusdem habitum & formam imitaretur. Adest stella, Solis, vel dei sui typum referens: vel potiùs ipse deus Helios, siue Heliogabalus, id est, Sol Oriens, eâ formâ, quâ fuit simulachrum eius Emessæ in templo, vt infrà notamus, Tab. XLVII. in Aureliano. Dubium tamen Romanis fuisse videtur hoc numen, quia sic Lampridius: *Adem Heliogabalo deo struxit, quem Solem alij, alij Iouem dicunt.*

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE TERTIVM, CONSVL TERTIVM, PATER PATRIÆ. Imperator in quadrigâ triumphali togatus, sceptro & lauru insignis. Ante eum sol siue stella, dei sui vicem gerens.

INVICTVS SACERDOS AVGVSTVS. Adstat aræ Heliogabalus laureatus pateram effundens, cum titione siue ferulâ accensâ in manu. An fortè quod hoc ritu accensæ ferulæ

siue facis explicari, seu expiari ignem voluerint per Prometheum in accensâ radiis solaribus ferulâ furtim sublatum, & mala inde omnia humano generi immissa? De quo Horatius Carm. lib. 1.

—— Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Post ignem æthereâ domo
Subductum, macies & noua febrium
Terris incubuit cohors.
Semotiq; priùs tarda necessitas
Lethi, corripuit gradum.

Alij clauam esse putant, ferreis clauis distinctam, alij ramum pingunt. Suprà stella est, siue signum Dei, cui litatur, & symbolum Solis Orientis, vt aliàs infrà.

CONSERVATOR, vel, CONSERVATORI AVGVSTI. Quadriiugi trahentes conum, in quo est aquila, & suprà Sol siue stella. Putant hoc fuisse dei Elagabali simulachrum, quod Romam secum vexit, &, vt ait Lampridius, vbi primùm ingressus est Vrbem: *Heliogabalum suum in Palatino monte iuxta ædes Imperatorias consecrauit, eiq; templum fecit.* Et de hac formâ vmbilici siue coni, pro numine apud priscos gentiles cultâ, multa adfert Abrah. Ortelius in Parergo Theatri, Tabulâ *Expeditionis Alexandri*, adfertque locum Herodiani de hac Heliogabali dei figurâ, cuius hæc sunt verba, lib. v. interprete Politiano: *Simulachrum nullum Græco aut Romano more manu factum ad eius dei similitudinem. Sed lapis est maximus ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni formam.* Nisi hanc descriptionem haberemus, (maximè, quia vt infrà dicetur

Tab. XLVII. Aurelianus dei Heliogabali humani vultus filò ſpeciem in prælio viderit, & in templo recognouerit Emeſſeno, & numo ſuo expreſſerit, prout hîc & alibi Sol Oriens, radiatus, & cum flagello aurigæ, nonnemo iudicaret hanc eſſe quadrigam, in quâ ſub conicæ figuræ tentorio ſiue tabernaculo ipſa dei ſtatua, & aurigantis inſtar habenas ipſas tenens, Vrbi illata ſit contecta, ad venerationem maiorem excitandam, neque enim maieſtati tanti numinis ſcilicet, conueniebat apertè per ora omnium traduci. Huic autem velut ædiculæ temporariæ dei, aquilam foris appictam, ſymbolum Romani Imperij, vnde fortè quidam, (vt ſuprà dictum) hunc dem *Iouem* autumabant: & Solis nunc Romani, deiq́ue ſub velo latentis ſymbolum eſſe ſtellam ſuprà depictam. Huc accedit quod ſi lapis iſte vaſtus inſtar montis rotundi (quò alludere videtur etymon etiam vocis, quo linguâ Syrorum, vt ſuprà dictum, alah gabal, deum montis ſignificare dicatur, vel fortè deum montem: phraſi, quali Hebræi dicunt, virum ſanguinis, pro viro ſanguinario, & ſimilia.) deus ipſe fuerit habitus, videtur currus iſte, qui duas tantùm rotas habet, eaſq́ue minutas, ferendo tanto oneri impar fuiſſe. Fortaſſe ergo fuerit mons iſte factus ex cauato lapide, & ſub eo ſignum dei latens, & non adſpectabile, ad maiorem venerationem: prout in ſeriâ lateritiâ Palladium apud Veſtales reconditum ſeruari ſolere clariſſ. mem. Iuſtus Lipſius, libro de Veſtalibus annotauit. Sicq́ue ſit per errorem populi mons continens, pro contento deo adoratus: quod diiudicent & examinent peritiores. Habebat ergo hunc ſuum deum tutelarem Heliogabalus, vt alij ſuprà Apollinem, aut Iouem, aut Herculem, &c. quem & vnicum, reiectis omnibus aliis populo Romano colendum obtruſit. Quâ in re Illuſtriſſ. Card. Baronius cæcitatem & leuitatem Romanorum miratur, qui polytheîan ſuam tam

tam obſtinatè tot ſæculis, & in Chriſtianorum ſuppliciis defenſam, vnius perditiſſimi adoleſcentis arbitrio & iuſſu peſſumdarent, vnius ignoti & prodigioſi numinis cultum amplectentes.

TABVLA XXXVIII.

HELIOGABALVS, IVLIA MÆSA, MAMÆA.

FIDES EXERCITVS. Fidei typus ſedentis inter duo ſigna militaria, & auiculam dextrâ præferentis: ſiue turtur ſit, quam etiam compare viduam fidem ſeruare autumant. Eſt autem hoc numiſma gratitudinis teſtandæ in legiones Romanorum, quæ ab auiâ eius *Iuliâ Mæsâ* dolis expugnatæ & muneribus, eum ad Imperium promouerant.

IMPERATOR CÆSAR MARCVS AVRELIVS ANTONINVS AVGVSTVS. Heliogabalus iuuenili habitu laureatus. De Antonini etiam cognomine Capitolinus: *Iuliâ Mæsâ promittente militibus, legiones abductæ ſunt à Macrino. Susceptaq; illâ noctu in oppidum cum ſuis, nepos eius Antoninus eſt appellatus, Imperij delatis inſignibus.*

ABVNDANTIA AVGVSTI. Stat Abundantia ſiue Vbertas, cornu plenum pecuniâ effundens. Referri poteſt ad id quod Lampridius refert: *Eum varias numorum aureorum formas inueniſſe cauſſâ largitionis: binarios nimirum, quæ quatuor drachmas pendebant, ternarios, quæ ſex, quaternarios, quæ octo, denarios, quæ viginti, bilibrales, quæ centum nonaginta duas, centenarios, quæ ducentas, ſiue duas minas pendebant: quas poſteà formas ſucceſſor Alexander Seuerus diſſoluit. Legemq; tulit ne quiſquam iis uteretur.*

PON-

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE ITERVM, CONSVL ITERVM, PATER PATRIÆ. Roma cum victoriolâ, spoliis insidens, vt suprà aliquoties. Numus cuius postquam Romam aduenisset è Syriâ.

VICTORIA ANTONINI AVGVSTI. Victoria gradiens cum palmâ & corollâ, quasi Imperatorem redimitura. Est autem hæc victoria de Armeniis vel Parthis titulo tenus parta. Nam cum his bellum erat sub Macrino, nisi quis malit referre ad victoriam de Macrino partam, de quâ Capitolinus in Macrino: Cùm ipse apud Antiochiam positus intellexisset audaciâ Mæsæ nepotem eius Antoninum appellatum, delatis Imperij insignibus; *Iulianum Præfectum ad obsidendos eos cum legionibus misit. Quibus cùm Antoninus ostenderetur, miro amore in eum omnibus inclinatis, occiso Iuliano præfecto ad eum omnes transierunt. Deinde parte exercitus coniunctâ venit contra Macrinum Antoninus contra se festinantem: commissoq; prælio Macrinus est victus, proditione militum eius & amore Antonini, fugiensq; cum paucis & filio in vico quodam Bithyniæ occisus est cum Diadumeno, ablatumq; eius caput est, & ad Antoninum perlatum.* Et paulò pòst: *Ita Heliogabalus clarus redditus est, quòd videretur patris vindicâsse mortem, atque inde in Imperium venit.* Nec absre videatur illum de Macrino, etsi Imperatore, victoriâ hoc numo celebrare, cum vt ait Lampridius: *Lectis eius in Senatu litteris, statim fausta in Antoninum, & dira in Macrinum eiusq; filium, vt tyrannos dicta sunt, appellatusq;* ANTONINVS PRINCEPS: *volentibus cunctis*, &c.

SALVS ANTONINI AVGVSTI. Dea Salus porrectum Æsculapium serpentem dextrâ tenens, qui ex paterâ cibum sumere videtur. De hoc emblemate dictum suprà.

VESTA. Dea Vesta dextrâ lucernam seu lampadem æterni ignis, sinistrâ Palladium gerit, ad pedes ara est cum igne. Munus enim Virginum Vestalium erat seruare ignem sempiternum. Cicero lib. 1. de legibus: *Virgines Vestales in vrbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* Præter ignem verò seruabant & Palladium. Liuius lib. v. *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod Imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar;* hoc autem imperij pignus fuisse Palladium, Lucanus docet:

——Nullique adspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

IVLIA MÆSA AVGVSTA. Hæc est soror Iuliæ vxoris Seueri, auia Heliogabali, mater Iuliæ Soëmiadis matris eius, cuius astu ipse ad Imperium prouectus est: quia eum Bassiani filium esse militibus persuaserat, largitionesq; profusas iisdem dederat, vt legiones à Macrino abducerent, quod factum est: quod sic narrat Capitolinus in Macrino: *Fuit quædam mulier Mæsa, siue Varia, ex Emissenâ Vrbe, soror Iuliæ vxoris Seueri Pertinacis Afri: quæ post mortem Antonini Bassiani ex aulicâ domo fuerat expulsa per Macrini superbiam, cui quidem omnia concessit Macrinus, quæ diu illa collegerat. Huic duæ erant filiæ Semiamira & Mammæa, quarum maiori filius erat Heliogabalus, qui & Bassiani & Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant solem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac staturâ, & sacerdotio conspicuus erat, ac notus omnibus hominibus, qui ad templum veniebant, militibus præcipuè. His Mæsa siue Varia dixit Bassianum Heliogabalum filium esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mæsa ipsa ditissima, ex quo etiam Heliogabalus luxuriosissimus, quâ promittente militibus, legiones abductæ sunt à Macrino.*

IVNO. Iuno dea velata, hastâ & paterâ tenens, vt suprà aliàs.

CERES. Dea hæc ſpicas dextrâ geſtat, quòd fruges primum repperit, arandique rationem excogitauit; ſiniſtrâ facem ſeu tædam habet, in memoriam raptus Proſerpinæ, quã accenſa tæda in monte Ætna, vndique quæſiuit. Vnde etiam à Poëtis Tædifera dicta:

Et per Tædiferæ myſtica ſacra Deæ.

IVLIA MAMÆA AVGVSTA. Effigies Mamææ, quæ filia fuit Mæſæ, ſoror Soëmiadis, matris Elagabali, vxor Varij, mater Alexandri Seueri, cordata matrona & prudens, cuius conſilio adoleſcens filius Imperator pleraque prudenter adminiſtrabat. Sed quia auarior habita fuit, cæſa eſt vnà cum filio. Chriſtianæ religionis myſteriis initiatam, & ab Origene fuiſſe inſtructam narrat his verbis Euſebius lib. VI. cap. XV. *Mamæa mulier, ſi qua alia, virtute & pietate ſpectatiſſima, vitâ & moribus cumprimis religioſa, cùm Origenis fama ita celebris paſſim hominum vagaretur ſermonibus, vt ad eius etiam aures peruenireț, permagno videbatur æſtimare, ſi non ſolùm viri dignaretur aſpectu, verùm etiam eius in ſacris litteris intelligentiæ, quam omnes admirabantur, periculum faceret. Illa ergo iam tum Antiochiæ commorans, per turbam ſatellitum illum ad ſe accerſiuit. Apud quam ille vbi ad tempus moram fecerat, & multa quæ ad gloriam Domini & diuinæ eius diſciplinæ ac potentiæ amplitudinem ſpectabat, ei expoſuerat: ad conſueta ſtudia, & exercitationes ſe maturè recepit.* Per hanc & CHRISTI notitia filio inſinuata eſt, qui (inter ceteros tamen gentilium deos) CHRISTVM coluit, eiuſque effigiem in larario conſecratam habuit.

FELICITAS PVBLICA. Perſona Felicitatis, quæ columnæ innititur, & caduceum dextrâ oſtentat. Fortè caduceus, vt virgula diuina, facultatem deſignat obtinendi quod quis deſide-

desiderat, & columna retinendi fiduciam, & stabilitatis aliquam velut securitatem: attributa Mamææ, quæ sanis consiliis filium in administrandâ Repub. sæpe iuuans, felicitatem eius etiam promouit. Quando verum dictum est, quod alibi magnus Lipsius habet; *Publica eunt, vti consilia sunt: nam fata inuste accusemus.*

TABVLA XXXIX.

ALEXANDRI SEVERI, MAXIMINI, MAXIMI, & PAVLINÆ.

IMPERATOR CÆSAR, MARCVS AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER, AVGVSTVS. Effigies Alexandri Seueri laudatissimi Principis. Fuit iste Varij Marcelli filius, teste Lampridio: Arcenâ vrbe, siue Arcâ Cæsareâ natus, in Syriâ, & post interemptum Macrinum Cæsar à Senatu appellatus: deinde ab Heliogabalo adoptatus, iterum Cæsar declaratus, pòst Imperator factus, *Seueri* nomen ei à militibus inditum ob ingentem vigorem animi, & mirandam singularemq; constantiam contra militum insolētiam: quod ei ingentem tunc viuenti reuerentiam, magnam apud posteros gloriam peperit. Detulit ei Senatus iteratis acclamationibus nomen *Antonini*, quod cùm constantissimè & modestissimè recusasset, institerunt vt *Magni* cognomen assumeret, quod cùm magis renuisset, rationibus additis, & tandem ille generalem *Augusti* appellationem à primo Augusto profectā non renuisset; acclamatum est denique à Senatu, *Aureli, Alexander Auguste, dij te seruent. Verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ*, &c. Hæc latè Lampridius in vitâ, & hæc origo istorum eius titulorum. Imperauit annis XIII. & na-

tali suo die, eodemque Alexandro quondam Macedoni fatali, anno ætatis XXIX. in expeditione Germanicâ, Maximini dolis occisus est per milites, vnà cum matre, iuxta Moguntiacum.

PONTIFEX MAXIMVS, TRIBVNITIA POTESTATE, CONSVL, PATER PATRIÆ. Sedet dea Salus, Æsculapio, qui serpente exprimitur, paterâ effusâ, sacrificans. Emblema, suprà positum, & explicatum.

PONTIFEX MAX. TRIB. POT. VIII. CONSVL III. PATER PATRIÆ. Imperator in curru triumphali cum sceptro eburneo & aquilâ. Triumphauit de Persis deiecto rege potentissimo Artaxerxe, & tunc primùm Persæ serui apud Romanos fuerunt. Acto pulcherrimo triumpho, apud Senatum hæc primùm verba habuit: *Persas P. C. vicimus, longâ eloquentiâ opus non est: tantùm scire debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Iam primùm elephanti septingenti, ijdemq; turriti, cum sagittariis, & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti iacent, decem & octo perduximus; falcati currus mille; centum & viginti millia equitum fudimus; cataphractarios decem millia in bello interemimus, eorum armis nostros armauimus: Multos Persarum cepimus, eosdem ij, vendidimus: terras Inter amnanas, Mesopotamiæ scilicet, recepimus, Artaxerxem potentissimum regem, tam re quàm nomine, fusum fugauimus: ita vt eum terra Persarum fugientem videret: & quâ ducta fuerant quondam signa nostrorum, eâ rex ipse signis effugeret relictis*, &c. Hæc Lampridius.

PONT. MAX. TRIB. POT. II. CONSVL, PATER PATRIÆ. Imago pacis, quæ dextrâ ramum oliuæ tenet, sinistrâ hastam puram. Hanc præfert, eò quòd fusis fugatisque Persis,

Persis, pacem Imperio partam stabilîsset. Tanto enim hoste superato, non erat qui cornua tolleret in Romanos, quamuis Germania adhuc impacata esset, aut saltem nondum subacta, in quam Maximinus paulò pòst omnem belli molem conuertit.

PONT. MAX. TRIB. POT. II. CONSVL, P. P. Imago Iouis cum fulmine & hastâ, vt suprà.

PAX ÆTERNA AVGVSTA, vel, AVGVSTI. Iterata Pacis effigies, vt suprà. Augusti dicitur, siue quia ille per victoriam auctor æternæ pacis, siue quia sic in larario eius consecrata, siue quod matri Mameæ Augustæ æternùm pacem adscribant stabilitam.

IMPERATOR MAXIMINVS PIVS AVGVSTVS. Imago C. Iulij Veri Maximini, qui in Thraciæ montibus natus, parentibus barbaris, à primâ pueritiâ opilio. Is vasto & procero corpore insignis, cùm militare sub Septimio Seuero cœpisset; breui, robore admirabili & virtute clarus emersit. Sub Caracallâ ordines duxit, & militares dignitates tractauit. Sub Macrino à militiâ destitit, perosus hominem ob cædem Imperatoris sui, & in Thraciâ patriâ possessiones comparauit. Posteà ab Heliogabalo illusus, tandem Alexandro Seuero Principe prouectus, & in summo honore habitus: quod Alexandro infeliciter cessit: qui postea in Galliâ apud Moguntiâ seditione militari, & ipso, vt quidã volũt, auctore, interfectus: & sic Maximinus à militibus Imperator dictus, nondũ Senator existens, filio Imperij consorte dato, crudelissimè Imperiũ exercuit. Vnde factũ vt pòst hostis à Senatu declaratus, iuxta Aquileiam, quam obsidebat, vnà cum filio trucidatus sit.

PROVIDENTIA AVGVSTI. Dea Prouidentia infra se positum orbem sceptro velut regens & cornucopiæ instructa. Tritum emblema, & à prædecessoribus plerumque vsurpatum.

DIVA PAVLINA. Vxor Maximini, vt putant quidam, inter diuas relata, habitu velatæ, quod diuarum proprium, vt suprà notauimus. Capitolinus de vxore hæc recensens: *Pollicé ita vasto fuit* (Maximinus) *vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo:* nomen tamen eius non expressit.

CONSECRATIO. Paulina Pauoni Iunoniæ aliti insidens, & velum seu diadema manibus expansum tenens in cælum sublimis fertur. Aquila Iouis ales Imperatores subuehere censebatur, pauo Iunonia Imperatrices. Vide suprà Tab. XXVI. in Faustinâ matre. & Tab. XXXI. in filiâ.

MAXIMVS CÆSAR, GERMANICVS. Iste est C. Iulius Verus, Maximus, Maximini filius, pulcherrimus suæ ætatis adolescens, sed moribus idcirco insolens, & animo atque cultu corporis in superbiam elatus, & passim amatus à fœminis: anno ætatis XVIII. aut circiter, cum patre in tentorio occisus. Victoriæ contra Germanos cum patre particeps titulũ *Germanici* promeruit. *Ingressus enim Pater Germaniam transrhenanam per* CCC. & CCCC. *millia barbaricisoli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit, barbarorum plurimos interemit, cepit innumeros, militemq; duitem reduxit.* Capitolinus.

PRINCEPS, vel, PRINCIPI IVVENTVTIS. Adstat Maximus apud signa militaria, sceptro & hastâ purâ ac paludamento insignis. Solet autem hic titulus Imperatorum filiis tribui,

tribui, postquam ex ephebis egressi in viros adscripti sunt, vt dictum est suprà, ad Tab. XXXVII. vbi, simili ferè scemate, Diadumenianus expressus.

TABVLA XL.

GORDIANI, PVPIENI, BALBINI, & GORDIANI TERTII.

IMPERATOR CÆSAR, MARCVS ANTONINVS, GORDIANVS, AFRICANVS, AVGVSTVS. Effigies Gordiani senioris, qui vir grauissimus, cùm Proconsulare Imperium in Africâ teneret, ab exercitu, subitâ & ingente seditione contra Maximini crudelitatem excitatâ, Imperator factus planè inuitus, & per minas intentatis gladiis coactus: postea Senatu certiore facto, ipse cum filio *Augusti* appellati, Maximino vnà cum filio hostibus declaratis. *Africanum* se dici voluit, quòd ex familiâ Scipionis Africani se originem trahere diceret, sed pòst filio in pugnâ contra Capelianum quemdam, qui Mauros rexerat, rebellantem, interfecto, ipse laqueo vitã finiuit. Sciens in Maximino multum esse roboris, & in Afris nihil virium, multum quinimo perfidiæ.

PONTIFEX MAX. TRIB. POT. COS. PATER PATRIÆ. Imperator ipse togatus cum parazonio, & ramum oliuæ siue lauri dextrâ attollens. Videtur symbolum indicare, nec togæ, & pacis artes, nec fortitudinem bellicam in eo desideratum iri, vel est Statua ei posita.

ROMÆ ÆTERNÆ. Roma sedens spoliis suffulta, pilo se sustentans, & victoriolam dextrâ præferẽs, scemate suprà aliquoties expresso. Indicat Romanam Rempub. premi posse tyran-

tyrannide Maximini, non opprimi, aut succumbere. Quod Horat. Carm. lib. IIII. in personâ Annibalis de eâ prædicat:

Duris vt ilex tunsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumq; ferro.
Non Hydra secto corpore fermior
Vinci dolentem creuit in Herculem,
Monstrum mue summisere Colchi
Maius, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo pulchrior euenit:
Luctere, multâ proruet integrum
Cum laude victorem, geretq;
Prælia coniugibus loquenda.

IMPERATOR CÆSAR M. CLODIVS PVPIENVS MAXIMVS, AVGVSTVS. Effigies Pupieni aureâ & radiatâ coronâ insignis. Is vir fuit militaris, domi forisque moribus semper grauis ac Seuerus, ignobilis genere, sed virtutibus clarus. Ex Præfecto Vrbi contra Maximinos, post mortem duorum Gordianorum Imperator à Senatu declaratus, vnà cum Balbino, & Augusti titulo vterque insignitus, *cumq; populus Romanus Pupieni Imperio reclamaret, quòd seueritas viri metuenda videbatur, ac Gordianum adolescentulum Principem postularet, non prius permissi Imperatores è Capitolio, re diuinâ factâ, ad Palatium stipati armis ire, quàm is Cæsar declaratus esset*, vt refert Capitolinus.

CONCORDIA. Matrona sedens, dextrâ florem, sinistrâ cornucopiam gestat, quæ Orbi terrarum videtur inniti. significat ex concordiâ Pupieni Maximi, & Balbini Imperatorum, aduersus

aduersus Maximinum tyrannum, omnium rerum abundantiam ortam fuisse.

FIDES MVTVA AVGVSTORVM. Dextræ iunctæ Pupieni & Balbini, in fidei tesseram & Concordiæ, more prisco: quo veteres significabant omnem eorum honorem dextræ virtute constare, harumque nexu, animorum velut mutuum conuenire consensum. Vnde & dextræ fidei consecratæ, vt genua misericordiæ. In aliis eius numis simili emblemate, adscriptum, *Caritas mutua Augg.* Hæc boni ominis causâ sub initium geminati Imperij. Virg. VIII. Æneid.

——*accipe daq; fidem.* & lib. XII.
Iunximus hospitio dextras. ——

IMPERATOR CÆSAR DECIVS CÆLIVS BALBINVS, AVGVSTVS. Balbini facies, qui vir consularis, nobilitate, virtute, probitate, & verecundiâ gratus omnibus, vnà cum Pupieno Imperator designatus. Refert Capitolinus, quòd, *cùm occisis Gordianis Senatus in Curiâ haberetur, & Consul aliis de rebus Senatum rogaret, qui primus sententiam dicturus erat, omissis de quibus rogabatur, proposuerit periculum Reipubl. & necessitatem de Imperatore deligendo Reipubl. incumbentem: cui Vectius Sabinus petitâ à Consule venià interfatus, cùm ostendisset celeriter in necessitate capienda consilia, non per moram consultationis quærenda, Maximino quadrato agmine ad Vrbem aduolitante: censuit duos eligendos, vnum qui Vrbis defensioni præsideat, alterum qui obuiam latrombus pergat.* Subiunxitque: *Ego Principes dico, vos firmate, si minus meliorem ostendite, Maximum atque Balbinum, quorum vnus* (Maximus) *in re militari tantus est, vt nobilitatem generis splendore virtutis allexerit: alter* (Balbinus) *ita clarus nobilitate est, vt & morum lenitate Reipubl. sit necessarius, & vitæ sanctimoniâ, quam à primâ ætate in*

studijs semper & litteris tenuit. Cui mox à Senatu acclamatum: *Æquum est, iustum est, sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime & Balbine Augusti, dij vos seruent.*

VOTIS DECENNALIBVS. Corona laurea omen victoriæ, & votorum nuncupatio, seu susceptio designatur soluendorum, si Respubl. per decem annos sequentes salua & incolumis perstitisset, vel: Si salui tanto tempore, & felices Principes. Specimen huius ritus clarum in Plinij secundi Epistolis, ad Traianum, hoc exemplo: *Plinius Traiano. Solemnia vota pro incolumitate tuâ (quâ publica salus continetur) & suscepimus, Domine, pariter & soluimus, precati deos, vt velint ea semper solui semperq; signari.* Et iterum: *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres lætiq; persoluimus, nouaq; rursus, curante commilitonum & prouincialium pietate, suscepimus, precati deos,* VT TE REMQVE PVBLICAM FLORENTEM ET INCOLVMEM EA BENIGNITATE SERVARENT. Vouebant autem diis donaria, templa, ludos, coronas, sacrificia, & similia: soluenda cum obtentis quæ petebant, rei votorum essent, dicebanturque vota signare, suscipere, nuncupare: & postea votorum rei, eadem soluere, implere, &c. Is ritus etiam apud exteros obseruatus. Liuius lib. XXI. de Annibale cùm se præpararet ad bellum cum Romanis gerendum. *Gadeis profectus Herculi vota exsoluit: nouisque se obligauit votis, si cetera prospere euenissent.* Et pòst: *Ab Gadibus Carthaginem ad Hyberna exercitus redit.* Inde apparet exercitum votis tum soluendis, tum suscipiendis interfuisse. De votis solemnibus nuncupandis, quod fiebat postrid. Kalend. Ianuarij per sacerdotes, vide Tacitum XVIII. Annal. Plinium in Panegyrico, & alios.

AMOR MVTVVS, AVGVSTORVM. Dextræ iunctæ vt

suprà,

suprà, in tesseram amoris, & consentientis priuatim ac publicè mutuæ voluntatis. Numus vtrique Imperatori ex æquo tributus, vt suprà.

IMPERATOR GORDIANVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Effigies Gordiani tertij, qui ex filio seu filiâ nepos fuit Gordiani senioris, de quo Capitolinus ait: *Illum in solatium desiderij Gordianorum, qui pro Republ. perierant, adolescentem vix quatuordecim annorum Principem à populo expetitum, præcipuè, quia Pupieni à Senatu electi seueritatem metuebant: nec antè permissum Pupieno & Balbino è Capitolio ad Palatium stipatis armis ire, quàm hic Cæsar fuisset declaratus, quod statim factum nouo S. C. genere, quum eodem die S. C. factum esset, inductusque in Curiam Cæsar appellatus.* Decorus aspectu, amatus & gratus omnibus, Imperatoribusque biennio pòst militari seditione interemptis, solus Imperio successit, & ipso anno ætatis XXII. Imperij VI. insidiis & fraudibus Philippi, quem Prætorij Præfectum fecerat, & in locum parentis adsciuerat, duci iussus, spoliatus, & ante ora militum occisus, in Persside bellum gerens. In cuius percussoribus (qui nouem fuisse traduntur) quod olim in Iulij Cæsaris, accidisse notat Cordus; vt omnes posteà, Philippis interemptis, suâ manu, suisque gladiis, & iisdem, quibus illum percusserunt, interierint.

LIBERALITAS AVGVSTI ALTERA, vel DVPLEX, aut GEMINATA. Stat ipsa dea tesseram dextrâ præferens, sinistrâ bina abundantiæ cornua: vt duplex donatiuum eodem tempore factum designet, siue, (vt solet fieri) donatiuum militi, congiarium populo.

IOVI STATORI. Stat Iupiter haſtâ & fulmine inſtructus. STATOR, vel quod voto ſuſcepto acies Romanorum fugientium ſtiterit, vel quod eius beneficio ſtant & ſtabiliuntur omnia, vt Ciceroni placet Orat. antequam iret in exil. *O Iupiter Stator, quem verè Maiores noſtri Statorem Imperij nuncupârunt, quia ipſius beneficio conſtant omnia.* Eius templum in Palatio à Romulo dedicatum cùm Sabinos ſuperaſſet. Huic Ioui videtur honorem ſeu ſtatuam detuliſſe, vt res per Maximini tyrannidem dubias & Rempublicam fluctuantem ſiſteret, & ſtabili tranquillitate firmaret: ſiue terræ motum (qui acciderat) porrò arceret, eamque ſtabiliret, quod ſuprà Tab. XVIII. fortè reſpexit, ſymbolo: TELLVS STABILITA.

TABVLA XLI.

GORDIANI III. PHILIPPI *vtriusque* & OTACILLÆ.

ÆTERNITATI AVGVSTI. Phœbi ſiue Solis dei imago radiati, dextram attollentis, & ſpheram ſiniſtrâ librantis. Extat alius Gordiani huius numus ſimilis cum ſcito: ORIENS AVGVSTI, ſeu quod iuuenem Principem ætate & formâ florentem, & Orientis iam Imperium ferè obtinentem, augurio æternæ famæ Soli comparare placuit, qui Orientem & Occidẽtem paribus radiis illuſtrat, & æterno vel perenni gyro cõplectitur; ſeu quod Imperium Romanum in Occidente ſitum, iam potentiæ ſuæ dextram in Orientis oras hoc Duce protendat, Perſis Romano Imperio ſuccumbentibus. Veriſimile autem hac formâ Solem apud Orientales Heliogabali etiam titulo cultum vt infrà Tab. XLVII. ad numum Aureliani notabimus, quamquã ſint

qui

qui distinguant Numen dei, quod colebatur formâ informi, & statuam. De quo vide, quæ dicta ad Tab. XXXVII.

TRAIECTVS AVGVSTI. Triremis Prætoria rostrata, instructa copiis signisque militaribus. Designat profectionem Gordiani ad bellum Persicum classibus exercitu traducto: quod Duce Misitheo socero suo, Prætorij Præfecto, optimo & prudentissimo viro, feliciter administrauit. Capitolinus: *Sedato terræ motu, Prætextato & Attico Consulibus, Gordianus, aperto Iano gemino, profectus est contra Persas exercitu ingenti, & tanto auro, vt vel auxiliis, vel militibus facilè Persas vincere posset.* & iterum: *Syriâ Persas expulit, summoto, qui eam inuaserat, Sapore rege, ficq; effectum vt Persæ, qui etiam in Italiâ timebantur, in regnum suum redire sint coacti, totumq; Orientem Romana Respubl. obtineret.*

PONT. MAX. TRIBVNITIA POTESTATE ITERVM, CONS. VL, PATER PATRIÆ. Pax dea ramum oliuæ præferens. Alius similis extat, cui inscriptum, PAX AVGVSTI. Numus cuius Persis vt dictum est, superatis, & sic pacato rursus orbe terrarum.

IMPERATOR PHILIPPVS AVGVSTVS. Effigies M. Iulij Philippi, natione Arabis, qui humili loco natus, mortuo (eius, vt suspicio fuit, fraude) Misitheo Prætorio præfecto, ob virtutem militarem à Gordiano subrogatus, dolis posteà & malis artibus militum animos à Gordiano alienauit: primùm tutor quasi Principis electus, iussusque pari cum illo Imperio præesse: pòst superbissimè contra Gordianum agens, tandem per summam contumeliam & iniuriam occiso, per ignominiosum supplicium, Gordiano, Imperium arripuit: sed & ipse

anno pòst sexto à militibus Veronæ cæsus, cùm contra Decium exercitum eduxisset, manibus cæsi à se Imperatoris suo sanguine parentauit. Iste quamquam initio gentilis, traditur tamen anno V. C. millesimo ad Christianam fidem perductus. *Occasione cuius anni cum in Capitolio sacrificare Ioui vellet, à S. Pontio, qui Præfecturâ auctus erat, edoctus fuit de vno Deo vero & omnipotente in cælis, qui omnia condidit* VERBO *suo, &* SPIRITVS *sui gratiâ animauit. Et credidit, vnaq; cum filio à Fabiano Papâ baptizatus traditur.* vt refert Illust. Card. Baron. Tom. Annal. 11.

SÆCVLARES AVGVSTI I. Leo mansuetè gradiens. Exhibuit Philippus anno Imperij II. ab V. C. millesimo, ludos sæculares cum summo apparatu & magnificentiâ spectaculorum, quorum iste primus missus videtur fuisse, Leonum cicurum paria triginta: quod leo in feris regnum obtineat, & familiam ducat. Capitolinus: *Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti* XXXII. *alces* X. *tigres* X. *leones mansueti* LX. *leopardi mansueti* XXX. *hyenæ* X. *gladiatorum fiscalium paria mille, hippopotamus vnus, rhinoceros vnus, archoleontes* X. *camelopardali* X. *onagri* XX. *equi feri* XL. *& cætera animalia innumera & diuersa, quæ omnia Philippus ludis sæcularibus vel dedit, vel occidit.* Dedit scilicet in direptionem venationis: vel in circo per venatores occidenda exhibuit in spectaculum. Idem in Philippo refert Pomponius Lætus. *Huius Imperij anno secundo ante* XI. *Kalend. Maij ingenti pompâ, magnoque sumptu & apparatu, sæculares ludi anno & natali V. C. millesimo, celebrati sunt. belluæ triumpho Persico, & his ludis à Gordiano asseruatæ, (nam iuuenis natali vrbis triumphare decreuerat) hæ fuisse commemorantur. Elephanti* XXXII. &c. vt suprà ex Capitolino, *quæ omnia in Circo maximo exhibita: & scenici ludi, quos in theatro tribus diebus totidemq; noctibus, (mirum dictu) perui-*

gil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus.

ÆTERNITAS AVGVSTORVM. Elephas reticulatus, insidente mauro cum iaculis. Per elephantem æternitatem designari putant, quod ij longissimè viuere tradantur, nempe Mauritani, Solino auctore, in annos trecentos, & Aristotele ducentos, & quibusdam trecentos. Magis tamen fortè ex sententiâ numismatis sit, per ludos *sæculi miliarij* (vt in aliis numis vocatur) in quibus elephantes inter primaria spectacula fuerunt, & numerum denarium perfectum in se trinâ dimensione, velut cubicè, multiplicatum, (id est decies dena decies, quæ millenarium quadrant) absolutam annorum seriem, id est æternitatis perfectionem innui, & famam simul immortalem tam raræ nouæque solemnitatis, istis Principibus, sub quibus incidit, portendi. Fuitque iste missus in Circo, fortè septimus, Elephantes scilicet XXXII. quia ad sextum vsque est designatio in aliis numis, & auctoribus.

LIBERALITAS AVGVSTI. Sedet Imperator in sellâ curuli editiori loco, cum adstantibus ministris, qui tesseras manu gerunt, accedunt aliqui ad gradus vel tribunalis gradus, accepturi Congiarium.

MARCIA OTACILLA SEVERA AVGVSTA. Hæc Philippi Imperatoris vxor, ex quâ Philippum filium Imperij consortem procreauit, lunæ crescentis cornibus cincta, quibus eam Dianæ comparant, & crescenti augurantur absolutam perfectionem & complementum eius gloriæ, felicitati, & virtuti. Quod postea symbolum fuit Francisci I. Galliarum regis, cum scito, *Donec totum impleat orbem*, & nunc Turcarum insigne,

insigne, simili, ipsis, præsagio & sensu. Porrò hanc Marciam CHRISTVM etiam coluisse quidam auctores sunt, & cum marito ac filio per baptismum ei initiatam.

SÆCVLARES AVGVSTÆ IIII. vel, AVGVSTORVM. Vt in aliis argenteis. Hippopotamus. De hoc animali aliquid dictum sup. Tab. XIX. Porrò sagacissimum esse tradit supra animalia cuncta ratione carentia Ammianus Marcellinus. Voluit hoc numo Philippus vxorem quoque illustrem facere, sæculari solemnitate in eius memoriam quoque transfusâ. Fuit autem hic missus, quod ex notis colligimus, in Circo maximo quartus, Hippopotamus scilicet vnus, rarum animal, & numquam antè Romæ spectatum. vt secundus Romuli & Remi conditorum Vrbis cum lupâ nutrice exhibitio, tertius halcium x. quintus ceruorum, sextus hyenarum: quod ex aliis numis notis numerariis inscriptis colligimus. Credo autem tot numos variâ formâ & numero cusos, quot generis missus siue spectacula hisce ludis miliarij sæculi edita fuerũt.

IMPERATOR MARCVS IVLIVS PHILIPPVS AVGVSTVS. Philippus iunior à patre consors Imperij declaratus, Romæ post patris mortem interfectus anno ætatis duodecimo, ἀγένητος dictus, quod patrem ludis sæcularibus ridentem seuero vultu inspexisse, velut corrigens, tradatur. Tractum putant ex Seueræ matris eum Christianis præceptis informantis sanctâ disciplinâ: quia Christiani ab hisce spectaculis, præcipuè crudelibus abhorrebant, & peccatum censebant non tantùm eis spectandis arridere, sed interesse.

PRINCIPI IVVENTVTIS. Philippus Imperator habitu militari, cum globo & hastâ, adstante à tergo filio, cui ad armorum



morum tractationem, & regimen Imperij præit, vt Principem iuuentutis Reipubl. formet.

SÆCVLARES AVGVSTORVM. X. Leopardus: missus nempe decimus, Leopardi mansueti triginta sub nomine iunioris Augusti in circum emissi, aut illi simul cum patre ludis præsidenti in honorem adscripti.

TABVLA XLII.

Patris & filij DECIORVM, ETRVSCILLÆ, HOSTILIANI, & TREBONIANI.

IMPERATOR C. MESSIVS QVINTVS TRAIANVS DECIVS AVGVSTVS. Effigies Decij patris, qui in Illyrico militum suffragiis nactus Imperium, à Senatu deinde Augustus appellatus, optimi etiam Principis famam nomenque obtinuit: variisque præconiis eum historici dilaudãt, sed crudelis valde persecutor in Christianos fuit, quos proposito edicto omnes quotquot reperiri possent, necari imperauit. Vix toto biennio imperauit vnà cum filio, cum quo aduersus Gothos Thraciã infestantes, prælio incõsultò inito, periit, viuusque cum equo paludibus absorptus, reperiri nõ potuit: iusta Dei vindictâ, vt qui sanguinem Christianorum sitierat, cœnum biberet, & in terram vliginosam viuus descenderet.

DACIA. Prouincia Dacia, baculum tenet, in cuius summitate caput equi apparet, quòd gens bellicosa & equitatu præualens. Alius argenteus titulum præfert, DACIA CAPTA. De gestis Decij pauca extant, quia in odium persecutionis, quâ Christianos afflixit, oblitteratæ videntur hi-

storiæ temporis eius. Horatius Dacos *asperos* vocat, id est, duris adsuetos & laboribus infractos.

PANNONIÆ. Vtraque Pannonia, superior & inferior, quarum altera massam siue clauam tenet, armorum fortè genus illi genti vsitatum. Græci ferè Pannonios confuso nomine Pæones vocant, & de iis Max. Tyrius, Orat. XXXVIII. eos, *Solem venerari, & signum Solis esse discum breuem longo impositum ligno.* quod an hîc expressum sit, non satis constat.

HERENNIA ETRVSCILLA AVGVSTA. Hæc Traiani Decij filia fuisse traditur, vxor Volusiani.

PVDICITIA AVGVSTÆ. Sedet dea Pudicitia, peplo siue flammeo vultum obnubens in signum verecundiæ & pudoris, vt suprà Tab. XXXIII. & hastam puram tenēs. Iuuenal. Saty. X. de Messalinâ:

——— *dudum sedet illa parato*
Flammeolo. ———

qui ritus erat virginum nubentium.

QVINTVS HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS DECIVS. Vultus Decij iunioris, coronâ radiatâ insignis, qui cum Patre in bello Gothico extinctus.

PIETAS AVGVSTORVM. Mercurius cum petaso, caduceo, & bulgâ seu crumenâ. Mercurium lucris præfectum vulgo notum, vnde & mercatorum & publicanorum tutelaris habebatur. Eâdem figurâ & inscriptione reperitur in argenteo Hostiliani eius qui sequitur. De *Caduceo* Mercurij, & quem

quem ipse eius virgæ vsum haberet, breuiter Virgil. lib. IIII. Æneid.

Tum virgam capit, hac animas ille euocat orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit,
Dat somnos, adimitq;, & lumina morte resignat:
Illâ fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila. ———

C. VALENS HOSTILIANVS MESSIVS QVINTVS CÆSAR NOBILIS, vel, NOBILISSIMVS. De hoc nihil admodum apud Græcos aut Latinos historicos est reperire. Coniicit Onufrius hunc Decij alterum filium fuisse, siue generum, quod simul cum Decio imperauerit, vt verisimile est ex numismatis emblemate quod sequitur, nec nisi Imperatorum liberis posteriori æuo tribui solet. Alij numi habent: QVINTVS NOBILIS CÆSAR VALENS HOSTILIANVS AVGVSTVS. Et item alius apud Adolphum Occonem: ÆTRVSCVS ET QVINTVS CÆSARES. Habetque vtriusque facies aduersas, vt suprà Tab. XXXV. vidimus Bassiani & Getæ.

PRINCIPI IVVENTVTIS. Stat tunicatus Imperator cum paludamento, dextrâ signum militare tenens, sinistrâ pilum. De titulo hoc aliquoties dictum suprà. Indicat vel primæ militiæ tyrocinium, vel participatum cum Decio belli laborem.

IMPERATOR CÆSAR C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS. Iste cùm Dux limitis Mæsiæ à Decio factus esset, à legione, quæ prælio Decij contra Scythas infelici superfuerat, Imperator salutatus est, eumque Senatus Augustum appellauit.

pellauit. Is cum Scythis fœdus percussit, & tributo ducentarum dragmarum aurearum Imperium grauauit. Posteà ipso Romæ agente, cùm Æmilianus Dux limitis Mæsiæ, Scythas impressionem in terras Romani Imperij facientes feliciter repressisset, & Imperator ab exercitu appellatus esset; Trebonianus filium consortem Imperij fecit, & ad opprimendum Æmilianum profectus, deserentibus eum militibus & Æmiliano adhærentibus, cum filio cæsus est, postquam biennio imperasset. Cœpit sub eo grassari sæuissima pestis, quæ ab Æthiopiâ incipiens, totum ferè orbem peruagata toto decennio, vix tandem consopita est.

IVNONI MARTIALI. Templum deæ cum ipsius statuâ, & adstante pauone. Ludicrum Martiale refert in Diuo Claudio Trebellius, narrans quid illi inter luctandum eo ludicro acciderit. Sed hoc Marti putem potiùs quàm huic Iunoni sacrum fuisse. Citat Adolphus Occo triplex numisma huic deæ à Treboniano signatum, triplexque item à filio eius Volusiano. Sed quia illud epitheton Iunonis alibi non reperitur; autumat R.P. Andræas Schottus fortè genuinam scripturam esse; MARITALI, vnâ litterulâ transpositâ, quæ eadem Iuno Lucina & iugalis dicta.

SÆCVLVM NOVVM. Templum almæ Vrbis Romæ, sex columnis in vestibulo suffultum, in cuius medio statua, fortè an vrbis Romæ, quamuis hic stantis habitu expressæ. Sic colligo ex cõsimili planè figurâ templi Romæ, infrà Tab. XLVII. vbi ÆTERNÆ titulo insignitur, & iterum Tab. LI. Fuit autem templum istud regione Vrbis quartâ, iuxta Viam sacram, vt tradit Victor: cuius & Spartianus meminit in Hadriano. *Colossum*, inquit, *stantem atque suspensum per Detrianum archi-*



architectum, de eo loco in quo nunc templum Vrbis est, ingenti molimine transtulit, ita vt operi etiam elephantes XXIIII. *exhiberet.* Et hîc interpretor; hoc maximè ad æternæ (vt augurabantur) Vrbis gloriam celebrari hoc numismate, quod iam pòst dena secula & millesimum annum rotundatum, nouum sæculum adsurgit, vel vt cum Poëtâ dicamus:

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Cùm tamen florere perseueret Vrbs & crescere, & sub Imperio suo spectare gaudeat tantùm non quidquid Sol Oriens & Occidens terrarum lustrat & contuetur. Possit autem & ista statua esse Imperatoris togati in vestibulo templi Almæ Vrbis dedicata, in memoriam noui sæculi sub ipso inchoati, de quo dispiciant periti.

TABVLA XLIII.

VOLVSIANI, ÆMILIANI, VALERIANI, & MARINIANÆ.

IMPERATOR C. VIBIVS VOLVSIANVS AVGVSTVS. Post excessum Gordiani tertij inter eos fuit qui Imperio potiti. Gener fuit Traiani Decij, ductâ eius filiâ Herenniâ, filius Treboniani Galli, quem pater Romæ agens, audiens Æmilianum Imperatorem ab exercitu factum, consortem Imperij fecit, breuiqúe pòst tempore cum patre apud Interamnum occisus est.

PIETAS. Instrumenta pontificalia & sacrorum. Lituus, culter, simpulum seu guttus, capeduncula, aspergillum, & patera, vt suprà aliquoties. Designat sacerdotia quibus auctus fuit, & in Diuos suos cultum.

ANNONA AVGVSTI. Femina ſedens cum frumentario vaſe, ſiue Modius ſiue Congius ſit, in quo frumenti ſpicæ, manu videtur pomum, aut potiùs papauer continere. Obſeruauit enim V. Doctiſſimus Antonius Auguſtinus, Papauer in his nummis frequentiſſime conſpici, qui Annonam exprimunt, in Cereris memoriam, quæ raptâ à Plutone Proſerpinam filiam dum quærit, ſomno oppreſſa quieuit; vnde à Poëtis, nunc Cereale, nunc Voſcum papauer dicitur. Indicat autem Nummus hic, à Voluſiano, Annonæ copiam & vilitatem procuratam.

IMPERATOR CÆSAR ÆMILIANVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Iſte in Mauritaniâ ortus Dux limitis Mæſiæ ſub Decio, ſtrenuè rem geſſit ſub Treboniano Gallo profligatis Scythis & in ſolitudines ſuas reiectis. Pòſt ab exercitu Imperator creatus, cæſo mox Gallo, qui ad eum opprimendum profectus erat, ſcripſit Senatui ſe Imperatorem electum, & diligentiam in bello adminiſtrando in Oriente ſpopondit. Interea nuntio accepto Alpinos milites Valerianum elegiſſe, milites eius, ne ciuili bello ſe conficerent, ipſum occidunt apud Spoletum, & Valeriano ſe tradunt. Alij illum morbo abſumptum referunt, tres circiter menſes modeſtè Imperio vſum.

PONTIFEX MAX. TRIBVNITIA POTESTATE, PATER PATRIÆ. Imperator haſtâ purâ inſtructus ad ſigna militaria ſacrificat loricatus. Solent Imperatores noui luſtrato exercitu ſacra facere coram legionibus, & eâ occaſione aliquando ſuper aris milites nouo ſacramento obligare, quæ cauſa martyrij multorum Chriſtianorum militum, qui tempore eius ſacrificij, ne ſe polluerent, à caſtris ſecedebant, quod

quod fecit tota Thebæorum legio (*quæ*, vt refert Eucherius, *ſex millia ſexcentos ſexaginta ſex viros validos animis, & inſtructos armis antiquorum Romanorum habebat exemplo*) ſub Maximiano Herculio, in Galliâ, primùm decimata bis, mox immiſſo omni exercitu ad internecionem deleta, animante eos Mauritio maximè Tribuno: quorum reliquias plurimas venerari eſt apud Agrippinam Coloniam, & in Subalpinis.

APOLLINI CONSERVATORI. Apollo nudus laurum dextrâ tenens, citharam ſiniſtrâ. Credo Apollini maximè his Principibus honorem habitum, vt contra peſtilentiam graſſantem, vt dictum ſuprà, (quam & immittere iratus, & propulſare placatus putabatur) Romano Imperio adeſſet: quia & Treboniani Galli numiſmata producit Occo, quibus inſcriptum, APOLLINI SALVTARI. De peſte immiſsâ, Homeri Ilias, lib. 1. De propulſandâ, Horat. carm. lib. 1.

Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemq; mares Delon Apollinis,
Inſignemq; pharetrâ,
Fraternâq; humerum lyrâ.
Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem,
Peſtemq; à populo, & Principe Cæſare in
Perſas atque Britannos,
Veſtrâ motus agat prece.

IMPERATOR CÆSAR PVBLIVS LICINIVS VALERIANVS AVGVSTVS. De eo Trebellius Pollio: *Valerianus Imperator nobili genere Patre Valerio, Cenſor anteà, & per dignitatum omnes gradus ſuis temporibus ad maximum in terris culmen aſcendens, cuius per annos* LXX. *vita laudabilis in eam conſcenderat gloriam, vt per omnes honores & Magiſtratus inſigniter geſtos Imperator*

rator fieret, non, vt solet, tumultuario populi concursu, non militum strepitu, sed iure meritorum, & quasi ex totius Orbis vnâ sententiâ. Is feliciter contra Saporem Persarum regem bellum gerens, seu imperitiâ Ducis, seu fraude, seu aduersâ fortunâ, iniqua in loca deductus, captus est ab hoste: apud quem miserè consenuit. Nam quoad vixit, Sapor eo incuruato pedem ceruicibus eius imponens, equum ascendere solitus, tandem ipsum crudelissimâ morte, pelle à ceruice ad imos vsque talos detractâ, necauit, anno LXXVII. ætatis. Victor eum stolidum & inertem fuisse tradit, neque ad vsum aliquem publicum consilio aut operâ idoneum. Zozimus captum magnâ suâ culpâ & imprudentiâ: sanè ludibrium fortunæ ingens fuit, & caducæ in terris sortis nobile documentum.

DEO VOLKANO. Templum Volkani siue Vulcani, in cuius medio deus malleo instructus & incude, vt apparet, iuxtâ posito. Græcâ orthographiâ, numo fortè in magnâ Græciâ signato.

APOLLINI PROPVGNATORI. Apollo arcum intendens, & sagittis propugnans. Nota est fabula, quâ Apollo matris honorem propugnãs fecundæ Niobes liberos sagittis confeciſſe traditur. Horat. Ode VI. lib. IIII. ad Apollinem:

Diue, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityosq; raptor
Senſit, & Troiæ propè victor altæ
Phtius Achilles.

DIVÆ MARINIANÆ. Mariniana, altera Valeriani vxor, mater P. Licinij Valeriani, sed velata more diuarum, scilicet post mortem cælo adscripta, lunæ etiam cornibus cincta.

CON-

CONSECRATIO. Ara cum acroteriis seu cornibus suis, & in medio eius ignis. Indicat diuinos honores defunctæ attributos.

CONSECRATIO. Pauo pictâ pandens spectacula caudâ: aut, quæ Laudatas ostentat auis Iunonia pennas. Symbolum Iunonis, vt suprà.

TABVLA XLIIII.

VALERIANI, GALLIENI, SALONINÆ, & SALONINI.

DIVO CÆSARI VALERIANO. Iste ex Marinianâ vxore P. Licinius Valerianus, Valeriani filius, formâ conspicuus, verecundiâ probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, & à fratris dissolutione seiunctus, à patre absente *Cæsar* est appellatus, à fratre, vt Cælestinus dicit, *Augustus. Nihil habuit*, vt ait Pollio, *prædicabile in vitâ, nisi quod est nobiliter natus, educatus optimè, & miserabiliter interemptus*. Sed & post mortem in Diuorum numerum relatus, vt hîc numus docet.

CONSECRATIO. Rogus funebris formâ consecrationi propriâ, de quo dictum Tab. XXV. vbi simile emblema Antonini Pij.

CONSECRATIO. Aquila, quâ è rogo euolante signum dabatur consecrationem perfectam, & velut à Ioue, internuntio alite suo, approbatam. De quo dictum ad Tab. XXV.

GALLIENVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Valeriani Imperatoris filius omnibus artibus à puero instructus, Augustus à patre appellatus, sub initium Imperij multa benè gessit. Sed patre pòst à Sapore capto, omnibus lugentibus ipse lætatus est, quod excusso iugo paterno, vino, libidini & popinis se totum dare posset. XV. Imperij anno cum Valeriano fratre, & filio Gallieno, Aureoli commento, contra quem profectus erat, à suis interfectus circa Mediolanum, natus in perniciem Imperij, & luxu & libidine infamis vixit annis L. Sub huius Imperio XXX. tyrāni variis pro occasione locis Imperium obtinuerunt, & membra Imperij mirè lancinauerunt.

APOLLINI CONSERVATORI AVGVSTI. Centaurus siue Apollo eius habitu, dextrâ sphæram siue globum, sinistrâ gubernaculum tenens. Ego hanc sphingem nondum capio. Viderint antiquitatis peritiores, quare Apollo hoc habitu. Anne quod monstrum Imperatorium deum monstruosum coluit, Orbemque ac gubernacula eius monstris aut bestiis, id est, tyrannis triginta (factus ipse sicut equus & mulus) conculcanda concessit? Sunt qui putent Gallienum expeditione in Orientē susceptâ hoc signum vt sagittarij, quasi thema suum (vt supra capricorni Augustus, & Vespasianus fecerant) publicasse, & Solem vel Apollinem in eo signo versantem sibi tutelarem deum expressisse, quod nondum satisfacit, quia iste Apollo siue sagittarius, arcu caret & sagittis, itaque ampliamus.

LIBERO PATRI CONSERVATORI AVGVSTI. Tigris seu panthera, Baccho, qui Liber Pater dictus, sacra. Virgil. Æneid. lib. VI.

Liber agens celso Nysæ de vertice tigres.

Hoc

Hoc emblema verisimilitudinem habet, quod in Orientem arma Romana inferenti is tutelaris electus, qui in Orientales & Indos trophæa sua & signa summâ eum gloriâ produxisse fertur. Sed & concinnè patronus Bacchus ei, qui crapulâ, lustris & popinis Romanum Imperium tunc potentissimum tantùm non funditus euertit. Quâ de re diffusè in vitâ eius Pollio Trebellius.

CORNELIA SALONINA. Vxor Gallieni, quam Regis Marcomannorum filiam, à Trebellio Pollione *Piparam*, ab Aurelio Victor *Pipam* cognomento, & Attali Germanorum Regis filiam dictam, perditè adamatam, accepit, socero ex pacto parte superioris Pannoniæ concessâ. De hac Trebellius Pollio in Posthumio: *Interfecto à Gallis Salonino Gallieni filio, ab omni exercitu & ab omnibus Gallis Postumus gratanter acceptus, talem se præbuit per annos septem, vt Gallias instauraverit, quum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris consenesceret.* Barbaram mulierem, nō vxorem vocat, etsi ea pro vxore habita: quia non creditæ sunt nuptiæ, quas ciuis Romanus cum peregrinâ contraxisset. Apud Porphyrium in vitâ Plotini perhonesta huius mulieris est mentio.

DEÆ SEGETIÆ. Templum, & in eo statua deæ stantis, manibus eleuatis, & in eius vertice Lunæ crescentis cornua. Flaua *Segestis* à Virgilio nuncupatur: sunt qui autument hic reponendum, *Segestæ*. fortè ex erasis antiquitate litteris errore contracto. Est autem *Segestis* dea Segetum & frugum præses; vt Pomona fructuum. Forsan Lunæ cornua habet quod ad Lunæ & mensium obseruationem segetes serendæ occandæque sint, vt feliciter proueniant. quod & Horatius tangit carmine Seculari:

Ritè Latonæ puerum canentes,
Ritè crescentem face noctilucam
Prosperam frugum, celerem q; pronos
Volvere menses.

Meminit Deæ Segetiæ S. Augustinus de ciuit. Dei lib. IIII. cap. VIII. vbi vanitatem Polytheiæ Romanæ perstringens, sic ait: Nec saltem potuerunt Romani, vnam Segetiam talem inuenire, cui semel segetes commendarent, sed sata frumenta, quamdiu sub terrâ essent, præpositam voluerunt habere Deam Seiam: cum verò iam essent super terram, & segetem facerent, deam Segetiam: frumentis verò collectis atque reconditis, vt tutò seruarentur, Deam Tutillinam præposuerunt, cui nõ sufficere videretur illa Segetia quamdiu seges ab initiis herbidis vsque ad aristas aridas perueniret.

Plinius lib. XVIII. vocat Segestam. Hos enim, inquit, tunc Deos maximè nouerant: Seiamque à serendo, Segestam à Segetibus appellabant, quarum simulachra in circo videmus.

VENVS FELIX. Venus sedens, pomum ferens & hastam puram, adsultante vt apparet, hinnulo. An quod præses ipsa Venus proteruiæ lasciuientis, & velut petulcæ & subsultantis alacritatis. Quod lasciuiæ genus Horatius amabat, & *gratam proteruitatem* vocabat: quod Itali etiámnunc laudant in puellis & *vaghezza* exprimunt. An quod per Hinnulum designetur verecundum illud & pauidum in puellis virginibus? quod etiam hac Hinnuli imagine Horatius tangit:

Vitas Hinnuleo me similis Chloë.

etsi hoc Veneri parum congruens. Hoc saltem est: per imaginem Veneris, formam Saloninæ commendat & venustatem.

SALO-

SALONINVS VALERIANVS CÆSAR. Effigies P. Licinij Cornelij Salonini Valeriani, qui Gallieni ex Saloninâ filius, adoleſcens mortuus eſt: dictus Saloninus, vel quod Salonis natus, vel in matris gratiam (quam pater perditè amauit) eius cognomine indigetatus.

PIETAS AVGVSTI. Inſtrumenta ſacrorum, vt ſuprà aliquoties. Solent opulentis ſacerdotiorum redditibus augeri principum etiam impuberes tantùm filij, vt variis locis hiſtorici teſtantur.

CONCORDIA TRIVM AVGVSTORVM. Tres dextræ in vnum nodum coaptatæ. Referimus ad patrem Gallienum, ipſum Saloninum, & ad fratrem Gallieni P. Licinium Valerianum, qui à patre abſente Cæſar, à fratre Auguſtus dictus, miſerabiliter cum fratre interemptus, & iuxta Mediolanum ſepultus fuit.

TABVLA XLV.

POSTVMI, VICTORINI, & AVREOLI *Tyrannorum.*

IMPERATOR CÆSAR POSTVMVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Effigies Marci Caſſij Latieni Poſtumi, inter triginta tyrannos computati, qui per Gallieni fatalem inertiam Imperium variis locis ſub ipſo arripuerunt. Trebellio Pollioni *Poſthumius*. vir in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus: cui, cùm Gallienus filium Saloninum in Galliâ poſitum credidiſſet, quaſi cuſtodi vitæ, & morum actuumque Imperialium inſtitutori, ipſe pòſt occiſo Salonino ſum-

 plit

pſit Imperium, vel, vt alij tradunt, per Gallos odio in Gallienum (cùm puer, quem apud ſe imperare ferre non poſſent, miſſis militibus occiſus eſſet) Imperator ſalutatus eſt, & ab exercitu Galliſque omnibus gratè acceptus, talem ſe præbuit per annos ſeptem, vt Gallias inſtaurauerit, & ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem reuocauerit Imperium. Sed ob grauitatem morum à Gallis nouarum rerum cupidis, Lolliano agente, interemptus eſt. Eutropius ait decem eum annis apud Francos Imperium obtinuiſſe.

INDVLGENTIA PIA POSTVMI AVGVSTI. Refero ad indulgentiam criminum & clementiam Poſtumi: quod reum genibus flexis manus, more ſupplicantium, attollentẽ, protensâ manu velut ad ſurgendum inuitet ipſe ſedens velut pro tribunali togatus. Oſtendere vult facilem fuiſſe Principẽ in condonandis pœnis: prout eâ voce vtitur Capitolinus in Antonino Pio, quem ſimiliter piè indulgentem oſtendit, dum ait: *His, quos Hadrianus damnauerat, in ſenatu indulgentias petijt, dicens, etiam ipſum Hadrianum hoc fuiſſe facturum.* Quod contrà obſeruatum à quibuſdam etiam magnis Principibus, vt Alexandro Seuero, de quo Lamprid. *Condemnationes & raras eſſe iuſſit, & quæ factæ fuerant, non indulſit.* Item alibi de Senatorum ab eo creatorum modo per ſententias omnium, & teſtes ſummos viros, addit: *ſi fefelliſſent vel teſtes, vel ij qui ſententias dicebant, poſtea in vltimum reijciebantur locum ciuium, condemnatione adhibitâ, quaſi falſi rei approbati, ſine vllius indulgentiæ propoſito.*

HERCVLI DEVSONIENSI. Hercules cum ſpolio Leonis, clauâ & arcâ. Magnas turbas hæc inſcriptio inter Antiquitatis peritos excitauit. Adolphus Occo de litteris optime meritus,

ritus, in Poſthumo legit. HERCVLES DEVS ONIENSIS, ita etiam legit Hubertus Holtzius in Theſauro ſuo rei Antiquariæ: Abrahamus verò Ortelius in Theſauro Geographico, in eadem eſt opinione. Addit etiam, ONIENSEM vrbem eſſe, quæ nunc *Oigni*, dicitur. Sed aberrant omnes, extra enim controuerſiam eſt, DEVSONIENSI, legendum eſſe. DEVSO enim oppidum fuit in regione Francorum vel Sicambronum. Quod nimis clarè docet D. Hieronymus in ſupplemento Chronici Euſebiani, anno nono Imperatoris Valentiniani. *Saxones cæſi Deuſone in regione Francorum.* Hæc totidem verbis refert Caſſiodorus accidiſſe IIII. Conſulatu Valentiniani & Valentis Augg. licet ille diuiſim legat, *de Vſone*, mendoſe. Suſpicantur nonnulli Deuſonem eſſe, Diuionem Burgundiæ Vrbem, ſed falluntur, ſiquidem Franci Valentiniani tempore necdum in Æduorum regionem ſiue Burgundiam penetrauerant, nam vix traiecto Rheno ripam Romanorum inuaſerant, vt bene obſeruauit Ioſephus Scaliger ad Euſebium.

SALVS PROVINCIARVM. Fluuius eſt cum nauigio ſuo, fortè Rhenus limes Galliæ Belgicæ, cùm ſcopulis, velut terminis innitatur: aut aliquod ex nobilioribus Galliæ fluminibus, ſubuehendo & conducendo commeatu ſalutem Prouinciis & velut vitam ferens.

POSTVMVS AVGVSTVS. Imperator Poſtumus galeatus criſtâque inſignis equinâ. In galeâ bigæ, & velut certamina gloriæ.

PROVIDENTIA AVGVSTI. Stat Prouidentia ſceptro orbem regens, & columnæ innixa, & cornu copiæ oſtentans.

Cùm

Cùm ſtultorum ſit lunæ inſtar mutari, prudentum autem conſtanter agere, ſtabilitatem virtutis columna fulciens deſignat, felicitatem cornucopiæ, potentiam ſceptrum, Orbis nullo terminatam limite Imperatoris auctoritatem, prouidæ eius ſapientiæ adſcribendam.

IMPERATOR CÆSAR VICTORINVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Hunc Poſtumus ſenior, cùm videret ſibi contra Gallienum non ſolùm militum, verùm etiam alterius Principis auxilium neceſſarium; militaris induſtriæ virum (vt ait Pollio) in participatum vocauit Imperij, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Interfecto autem Poſtumo & Lolliano, ipſe ſolus in Imperio remanſit. ſed cùm matrimoniis militum, & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cuius vxorem ſtuprauerat, compoſitâ factione apud Coloniam Agrippinam interemptus eſt cum Victorino filiolo. Præter libidinem optimus Imperator, quem Iulius Aterianus eius æui ſcriptor laudat, ſcribitque *neminem ei præferendum fuiſſe, non in virtute Traianum, non Antoninum in clementiâ, non in grauitate Neruam, non in gubernando ærario Veſpaſianum, non in cenſurâ totius vitæ ac ſeueritate Pertinacem vel Seuerum*. Sed hæc omnia libido, & cupiditas mulierariæ voluptatis perdidit.

ROMÆ ÆTERNÆ. Romæ caput galeâ & criſtâ munitum, dextro humero nudo velut brachium exertum gerens, prout virtus militaris his tabulis aliquoties exprimitur, excuſſæ fortitudinis inſigne. ÆTERNÆ titulus & augurium frequens in numis ſuprà.

SÆCV-

SÆCVLI FELICITAS. Fortuna videtur, illa quam Græci, teſte Pauſaniâ, τύχην ἐπὶ τροχῷ, (propter turriculam ſeu faſtigium, quod refert in capite) vocabant: gubernaculum iuxta poſitum, quòd ei rerum moderationem adſcriberet. Proram nauis pede premit, puerum in genibus velut ſibi ſupplicantem habet, aut quòd liberos tollat, an fortè quòd Victorinus liberis tollendis operam daret (cùm proclivis in libidinem deſcribatur), & ex variis mulieribus ſobolem haberet, hoc per adulationem Fortunæ indulgenti, & ſæculi Felicitati fuerit adſcriptum.

IOVIS CVSTOS. Iupiter ſedens haſtam manu tenens. apud priſcos Grammaticos aliquando IOVIS in recto caſu dicitur: Iſidorus lib. VIII. Originum. *Iouis fertur à iuuando dictus, & Iupiter quaſi iuuans pater*. Sic etiam in Gordiani pulcherrimo Nummo æreo apud Ampliſſimum Virum & omnis Antiquitatis peritiſſimum Nicolaum Rocoxium, legitur. IOVIS STATOR. Tabula vero Nona inter Neronis Numiſmata ſcribitur IVPITER CVSTOS. Meminit autem Iouis cuſtodis Seneca lib. II. quæſtionum Naturalium cap. XLV. *Sed eumdem quem nos Iouem intelligunt* CVSTODEM *Rectoremq; vniuerſi*. Primus autem Cæſar Domitianus Ioui cuſtodi videtur dedicaſſe templum, Tacitus lib. III. Hiſt. vbi deſcribit Capitolium à Vitellianis incenſum. *Domitianus prima irruptione, apud ædituum occultatus, ſollertia liberti, lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus ignarusq;, apud Cornelium primum paternum clientem, iuxta velabium delituit, ac potiente rerum Patre, diſiecto æditui contubernio, modicum ſacellum* IOVI CONSERVATORI, *aramq; poſuit, caſuſq; ſuos in marmore expreſſit. mox imperium adeptus* IOVI CVSTODI, *templum ingens, ſeq; in ſinu Dei ſacrauit.*

V IMPE-

IMPERATOR M. ACILIVS AVREOLVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Illyricanos exercitus regens in cõtemptum Gallieni coactus à militibus sumpsit Imperium. Cum eo pacem Gallienus facere coactus est, cum Postumio pugnaturus, quòd virum fortem expugnare frustrà tentasset. Eum postea Claudius, interfecto iam Gallieno, conflictu habito apud eum pontem interemit prope Mediolanum, qui nomine eius dedicatus, & Pons Aureoli nuncupatus est, atque illic, vt tyrannum, sepulchro humiliore donauit. Hæc Trebell. Pollio. Vopiscus ait: alios, inuito Claudio ab Aureliano occisum, tradere: alios, mandante & volente. Extat eius Epitaphium in agro Mediolanensi sex elegis Græcis à Claudio positum, quod citat Is. Casaubonus in notis ad Pollionem.

PRVDENTIA AVGVSTI. Hic Prudentiam nominat, quam alij Prouidentiam, eodem habitu & schemate quo supra expressam à Postumo.

TABVLA XLVI.

Tyrannorum, QVIETI, & TETRICORVM, patris ac filij.

IMPERATOR CAIVS FVLVIVS QVIETVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Macriani seu Macrini senioris filius cum patre & fratre, Balistæ iudicio, in Asiâ sub Gallieno Imperator est factus. *Sed vbi comperit Odenatus* (qui olim iam Orientem tenebat) *Macrianum patrem & eius filium Macrinum ab Aureolo victos, militesq; in eius potestatem concessisse, adolescentem*

scentem cum Balistâ Præfecto interemit, dignissimum alioquin Imperio habitum. Hæc Pollio.

SOLI INVICTO. Phœbi, siue Solis simulachrum radiati, & Orbem tenentis, ferè eodem filo quo suprà Tab. XLI. captiuo ad pedes, brachiis post terga reuinctis, sedente. Omnes qui in Asia res feliciter gesserunt, aut Imperium obtinuerũt, Solem, Orientalium nationum peculiarem deum, coluisse notantur. ideoque sæpè eorum numis eius simulachrum variis titulis, DEI, SOLIS ÆTERNI, CONSERVATORIS, COMITIS AVGVSTI, &c. indigetatur.

IMPERATOR TETRICVS PIVS FELIX AVGVSTVS. P. Piuesus Tetricus, quem interfecto Antonino & filio eius, mater Victoria Senatorẽ P.R. præsidatũ in Galliâ regentem ad Imperiũ hortata Augustũ appellari fecit, filiumq; eius Cæsarem nuncupauit. Qui cùm multa præclarè feciſſet, & feliciter diuq; imperasset, ab Aureliano victus cùm militum suorum insolentiã ferre non posset, volens se grauissimo Principi dedidit: quem Aurelianus cum Zenobiâ in triumpho duxit, sed eumdem postea totius Italiæ *Curatorem*, secundùm Vopiscum, & vtrumque Victorem, *Lucaniæ Correctorem* fecit, omnisq; per eam annonariæ regionis, illumq; honorificè habuit.

VIRTVS AVGVSTI. Virtus mascula seu militaris, insidens thoraci seu spoliis, dextrâ lauri ramum præfert, siniſtrâ hastam. Habitus idem quo suprà aliquoties Virtus expressa. vt Tab. VIII. XXVII. & XXVIII.

IMPERATOR TETRICVS PIVS AVGVSTVS. Idem habitus Tetrici qui suprà.

LÆTITIA AVGVSTI: N. NOBILIS, vel, NOSTRI. Lætitia dea coronam seu sertum dextrâ siue diadema, & sinistrâ anchoram tenet. An hoc fortè significare intendit, quod Imperator præsentis Imperij insigniis gaudeat, & mentem tamen ad vlteriora spei firmæ velut certitudine præsumptâ extendat? quia etsi iam tum Tetricus in Galliâ Imperator salutatus, restabat tamen Oriens & Occidens alienis adhuc Imperijs obsequens, copiisque munitus: siue per anchoram stabilitatem intelligimus, vt suprà in Telluris imagine & alibi. Porrò coronati solent dies Festos & lætitiæ dicatos celebrare Romani, ideo hæc dea sertum porrigit, fiebant autem hæc serta ex variis floribus aut herbis suaueolentibus. Horat. Ode XXXVI. lib. I. in lætitiam Pomponij Numidæ reducis.

Neu desint epulis Rosæ,
Neu vinax apium, neu breue lilium. scilicet in serta.

Item Ode vltimâ. ad puerum suum.

Displicent nexæ phylyrâ Coronæ,
Mitte sectari rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores, &c.

BINI IMPERATORES TETRICI AVGVSTI. Tetrici patris & filij effigies, qui filius primò *Cæsar* nuncupatus, postea patri in Imperio consors, eodemque fato ab Aureliano in triumpho traductus: & postea omnibus Senatoriis honoribus perfunctus, sortis humanæ ambiguæ documentum; ex priuato Imperator, ex Imperatore captiuus & triumphatus, iterumque ad culmina honoris & potentiæ euectus.

SPES PVCLICA. Imago Spei, herbam siue florem ostentantis, vt suprà Tab. XIII. aliisque. Designat in viris istis salutis publicæ fiduciam conceptam.

IOVI VICTORI. Iuppiter sedens, & dextrâ Victoriolam prætendens, sinistrâ hastam tenens. Eo titulo pietatem profitetur, quod victoriarum gloriam in auctores deos & Iouem deorum regem transfundat. Horatius Carm. lib. III.

Dîs te minorem quod geris, imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Concordia cum Lauri ramo, aut oleæ, & Cornucopia. Designat hic nummus, Concordiam inter Imperatores Patrem & Filium Tetricos omnium rerum abundantiam polliceri.

VIRTVS AVGVSTORVM. Ad Tetricos etiam refertur hic Nummus, nempe Pater galeâ capite tectus, & Parazonio instructus, iuniorem Tetricum manu complectitur, quâ hastæ innixus, intecto capite & laureatus adstat. Erat autem Parazonium, breuis ensis sine cuspide, quem Tribuni militares gestabant, de quo suprà.

MERCVRIO PACIFERO. Mercurius cum Petaso & Caduceo. Cur autem Caduceus Pacis ac Concordiæ signum sit, Plinius refert lib. XXIX. cap. III. *Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, caussa videtur esse, quare exteræ gentes, Caduceum in Pacis argumentis, circumdatâ effigie anguium fecerint, neque enim Cristatos esse in Caduceo mos est.*

TABVLA XLVII.

Sequuntur Imperatores, CLAVDIVS, QVINTILLVS, AVRELIANVS, & SEVERINA.

IMPERATOR CLAVDIVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies M. Aurelij Claudij, qui natione è Dalmatis, vt plurium eſt ſententia, (quamuis origo eius in obſcuro fuerit) magnis virtutibus clarus, & militaribus præſertim illuſtriſſimus: quem ponunt Hiſtorici cum Auguſto, Traiano, Antonino, peculiaribus eorum virtutibus comparandum. Pollio: *Inſignis morum grauitate, inſignis vitâ ſingulari & caſtimoniâ, vini parcus, ad cibum promptus, ſtaturâ procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis vſque adeò fortibus, vt ſæpè equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. Gallieni morientis ſententia Imperator deſignatus, in Imperio ita ſe geſſit, vt eius ſtirpem ad Imperium ſummi Principes eligerent, emendatior Senatus optaret.* Gothos & Sarmatas victoriis ita attriuit, vt eorum trecenta & viginti millia deleuerit, atque inſuper naues eorum ad duo millia depreſſerit. Poſt Biennij gubernacula Sirmij morbo, id eſt peſtilentiâ, conſumptus, nullâ relictâ ſobole: ante Imperium, in Imperio, poſt Imperium, dilectiſſimus omnibus ordinibus: cuius honori & ſtatuam auream decem pedum, quod nulli anteà, & clypeum cum imagine vultus eius in Capitolio S. P. Q. R. dedicauit. Vide Trebellium Pollionem in vitâ, qui ſibi vix ſatisfacere poteſt in viri huius laudibus deprædicandis.

ROMÆ



ROMÆ ÆTERNÆ. Templum, cuius veſtibulum ſex columnis fulcitur, & in medio ſtatua ipſius Romæ ſpoliis inſidentis. De templo hoc diximus ad Tab. XLII.

VICTORIA GOTHICA. Trophæum de ſpoliis Gothorum, infrà ſedentibus captiuis. De numero hoſtium Gothorum refert Trebellius Pollio hanc Claudij ad Senatum Populumque Romanum epiſtolam. *Sen. P. Q. R. Claudius. P. C. militantes audite, quod videlicet* CCCXX. *millia Barbarorum in Romanum ſolum venerunt, hæc ſi vicero vos vicem reddite meritis, &c.* Pòſt addit Pollio: *Hos igitur Claudius ingenita illâ virtute ſuâ ſuperauit, hos breui tempore attriuit, de his vix aliquos ad patrium ſolum redire permiſit.* Claudij Epiſtola ad Iunium Brochum Illyrico præfectum. *Claudius Brocho. Deleumus* CCCXX. *millia Gothorum, duo millia nauium merſimus, tecta ſunt flumina ſcutis: ſpathis, & lanceolis omnia littora operiuntur, campi oſſibus latent tecti, nullum iter peruium eſt* (ob ſtrata corpora cæſorum) *ingens carrago deſerta eſt.*

MEMORIÆ ÆTERNÆ. In memoriam Optimi Principis Claudij nummus hic ſignatus. Aquila conſecrationem Principum denotat. quantopere autem à P. R. Imperator hic amatus fuit, docent Trebellij Pollionis verba. *Illum & Senatus & Populus ante imperium, & in imperio, & poſt imperium, ſic dilexit, vt ſatis conſtet, neque Traianum, neque Antoninos, neque quemquam alium Principem ſic amatum.*

IMPERATOR CÆSAR MARCVS AVRELIVS CLAVDIVS QVINTILLVS AVGVSTVS. Frater Claudij, qui etiam Imperium obiter deguſtauit. De eo ſic Trebellius Pollio. *Claudio ad deos atque ad ſidera demigrante, Quintillus*

Quintillus frater eiusdem vir sanctus, & sui fratris (vt verè dixerim) frater delatum sibi omnium iudicio suscepit Imperium, non hæreditarium, sed merito virtutum: qui factus esset Imperator, etiam si frater Claudij Principis non fuisset. Is autem ob breuitatem temporis nihil dignum Imperio gerere potuit. Nam septimadecimâ die, quod se grauè & serium contra milites ostenderat, ac verum Principem pollicebatur, eo genere quo Galba, & quo Pertinax, interemptus est. Alibi etiã Pollio vocat eum *singularem virum, & familiam eius sanctam ac nobilem.*

TEMPORVM FELICITAS. Corona laurea victoriarum partarum insigne, & futurarum omen. quod Felix reddere seculum solet.

IMPERATOR CÆSAR AVRELIANVS AVGVSTVS. Effigies Lucij Domitij Aureliani gemmato diademate (quod hîc primùm à Persico luxu videtur depromptum) insignis. *Fuit*, vt refert Vopiscus, *humili loco natus Sirmij, vel in Dacia, matre sacerdote Solis, decorus aspectu, & gratiâ virili speciosus, staturâ procerior, neruis validissimis, vini & cibi paulò cupidior, libidinis raræ, seueritatis immensæ, disciplinæ singularis, gladij exerendi cupidus.* à Valeriano ad honores & Consulatum productus. Claudianis temporibus bello contra Mæotidas illi commisso, & equitum quoque omnium præfectus, & contra Sarmatas & Sueuos felicibus præliis florentissimâ victoria partâ, tantus enituit, vt post eum, Quintillo quoque fratre eius interempto, solus tenuerit Imperium, Aureolo interfecto cum quo pacem Gallienus fecerat. Post Eudoxiam superatam & Orientem pacatum, in Galliâ quoque Tetrico deuicto insignem triumphum egit. Tandem Persis bello indicto inter Heracleam & Byzantium occisus fraudè Notarij sui Mnesthei, manu Mucâporis. Imperauit annis circiter sex.

PRO-

PROVIDENTIA DEORVM. Concordia duo signa tenens, & Sol siue Heliogabalus eâ formâ, quâ verisimile est eum cultum fuisse in Syriâ. Narrat Flauius Vopiscus in vitâ Aureliani, quod in pugnâ, quâ ipse de summâ rerum contra Zenobiam & Zabam Ducem eius apud Emessam magno certamine dimicabat, cùm equites eius fatigati iam penè discederent ac terga darent, subita vi numinis, quod posteà proditum, *hortante quadam diuinâ formâ*, per pedites etiam equites restituti sunt & fugatâ Zenobiâ cum Zabâ plenissimè parta sit victoria. *Recepto igitur Orientis statu Emessam Victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus. Verùm illic eam formam numinis reperit, quam in bello sibi fauentem vidit. Quare & illic templa fundauit, & Romæ Soli templum posuit, maiori honorificentiâ consecratum.* Denotat ergo numus Concordiæ deæ, velut procurantis mutuum auxilium equitum ac peditum, deiúque Heliogabali prouidentiâ ac numine partam de hostibus victoriam. Solem eum vel maximè coluisse patet etiam ex oratione, quâ pro Consulatu decreto, Valeriano Imperatori gratias agens dixit, apud Vopiscum: *Ago gratias bonitati tuæ, & accipio Consulatum quem das, Dij faciant, & Deus certus Sol, vt & Senatus de me sic iudicet.* Quem deum Solem eò coluisse videtur magis, quod & (vt refert Callicrates Tyrius apud Vopiscum) mater eius sacerdos templi Solis fuerit in eo vico, in quo habitabant parentes, quodque ex palliolo purpureo, quod Soli sui temporis Imperator tulerat (quale pallium in hac statuâ dignoscitur) mater sacerdos crepundia filio fecisse perhibeatur, quod inter omina Imperij mox relatum.

ROMÆ ÆTERNÆ. Roma spoliis insidens, cum adstante Imperatore togato: Victoriam mediam tenent, siue alter al-

teri tradunt. Tradit Vopiscus, quod cùm Marcomannorum irruptionibus circa Placentiam magna clades accepta esset, & omnia circa Mediolanum grauiter euastata, ingentesque Romæ seditiones motæ essent, pauẽtibus cunctis, ne eadem, quæ sub Gallieno contigerant, prouenirent, & ideò petente Imperatore datis ad Senatum litteris, libri Sibyllini inspecti essent, & per sacrificia quædam certis locis facta, quæ barbari transire non possent, periculum esset procuratum: Aurelianus & victoriâ potitus fuerit, & mox Romam ipse reuersus, in auctores seditionis seuerè animaduerterit: & ne quid periculi vrbi Romæ in posterum metuendum foret, adhibito cõsilio Senatus, muros Vrbis dilatauerit, transactisque omnibus, quæ ad sectiones atque Vrbis statum & ciuilia pertinebant, in Orientem contra Palmyrenos & Zenobiam sit profectus. In cuius rei monumentum hic numus signatus referri potest.

ORIENS AVGVSTI. Sol radiato capite, flagrum gerens sinistrâ. Zenobia virilis animi fœmina Orientem perturbauerat, adscitis in belli societatẽ, Armeniis Persis & Saracenis, quam memorabili prælio deuictam captiuam habuit, moxq; in triumphum duxit, quo confecto bello Orientem pacauit: qua de causa etiam, Soli tanquam Orientis præsidi, templa consecrauit. Flauius Vopiscus in Aureliano: *Recepto itaque Orientis statu, Emessam Victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus. Verum illic eam formam numinis reperit, quam in bello sibi fauentem vidit. Quare & illic templa fundauit, donariis ingentibus positis, & Romæ Soli templum posuit, magna honorificentia consecratum, vt suo dicemus loco.* Similis etiam figura Solis occurrit in Gallieni nummo.

SE-



SEVERINA AVGVSTA. Fuit vxor Aureliani, de quâ parum apud Hiſtoricos annotatum reperimus.

CONCORDIA MILITVM. Concordiæ typus vtráuis manu ſigna militaria tenentis. Deſignari autumo, præter vniuerſi exercitus concordiam, & erga ducem obedientiam, etiam illam opem mutuam, quâ equites peditibus in prælio cõtra Marcomannos adfuerunt, vt ſuprà diximus. Porrò vxor prudens in partem gloriæ admittitur, ac ſi hic militum conſenſus etiam eius prudentiæ acceptus feratur: quòd vxor Imperatoris plurimum apud virum, & propter ac per virum ſæpe apud exercitus poſſit, præcipuè ſi abſit auaritia, adſit benignitas, & facilis compellatio, ac per eam apud virum admiſſio.

TABVLA XLVIII.

TACITI, FLORIANI, PROBI, & CARI *numiſmata.*

IMPERATOR CLAVDIVS TACITVS AVGVSTVS. Effigies M. Claudij Taciti, qui, poſt ſex menſium interregnum ab occiſo Aureliano elapſum, Imperator electus fuit à Senatu, maximo cum Ordinis eius gaudio, quaſi ſpeciem aliquam redditæ poſtliminio libertatis deguſtantis: magno militum & populi conſenſu, ex primæ ſententiæ conſulari ſeu principe Senatus. Senex grauis, litteratus, frugalis totâ vitâ, & cultu ita modeſtus, vt non aliis in Imperio veſtibus, quàm quibus priuatus adſueuerat, vteretur: ſextarium vini totâ die numquam potauerit, ſæpe intra heminam: ita diues tamen cũ priuatus ageret, vt in patrimonij (quod poſteà publici iuris

fecit) redditibus haberet seſtertiûm bis millies octingenties, id est, aureorum noſtratium octo milliones. Septimo Imperij menſe inſidiis militaribus Tarſi interfectus, quamuis alij febre obiiſſe tradant, inde tamen natâ, quod factionibus oppreſſus mente atque animo deficeret.

PONTIFEX MAX. TRIBVNITIA POTESTATE CONSVL DESIGNATVS ITERVM. Annona cum modio ſeu vaſe frumentario appoſito, ſiue congius iſte ſit. Spicas tenet & cornucopiæ. Eò referri videtur, quòd populo gratificatus, annonæ copiam & vilitatem procurauerit, ampliſſimo patrimonio ſuo publicato. Populo res gratiſſima & gratioſiſſima annonæ laxitas, quod hodie etiámnum experiũtur Principes & Pontifices quoque Romani in auſpiciis Pontificatus. Iuuenalis Satyra X.

——nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet; & populus ↄtis tantum omnibus optat
Panem, & Circenſes.——

Alij eiuſdem numi, ſimilem habent ferè effigiem, dextrâ crumenam præferentem cum inſcriptione, VBERTAS AVGVSTI. quod numiſma eodem refero.

ROMÆ ÆTERNÆ. Roma ſedens dextrâ globum præfert, Imperij orbis terrarum ſymbolum, ſiniſtrâ haſtam puram. Omne felix augurium Romæ vouent, eam Æternam & Diuam, ſtatuis, templis & honoribus afficientes, quæ promiſcua nouorum Principum iſtorum captandæ populi Romani gratiæ, adulatio. Vide ſuprà Tab. præcedente, & alibi.

IM-

IMPERATOR CÆSAR MARCVS ANNIVS FLORIANVS AVGVSTVS. Effigies Floriani laureati, qui frater M. Claudij Taciti, non tamen germanus, vt præter Vopiſcum, cognomen etiam diuerſum ſatis indicat: Eo defuncto, propriâ auctoritate, tamquam hæres fratris Imperium occupauit, idque duobus tantùm menſibus obtinuit: quando à militibus eſt interfectus, vel, vt Victor tradit, inciſis ſibimetipſi venis effuſo ſanguine eſt extinctus, cùm Probum illuſtris famæ virũ imperare audiuiſſet. Huius atque item fratris Taciti Xenotaphia erecta fuerunt Interamnæ in ſolo proprio, cum ſtatuis eorum altitudine tricenûm pedum.

IOVI VICTORI. Iupiter ſtans haſtâ ſubnixus, & dextrâ Victoriolam præferens, adſtante infrà Iouis alite aquilâ. Omen potiùs & auſpicium rerum gerendarum deſignans, quàm euentum: niſi intelligamus de iis, quæ per ipſum fratris auſpiciis ſunt geſta in expeditione contra barbaros à Mæotide erumpentes, quos Tacitus coërcuit. Interim non ſibi, ſed Ioui victoriam acceptam fert, vt ſuprà.

IMPERATOR CÆSAR MARCVS AVRELIVS PROBVS AVGVSTVS. Effigies Aurelij Valerij Probi Imp. qui, vt ait Vopiſcus in vitâ; *Sirmij in Pannoniâ natus, patre Maximo tribuno militum, matre nobiliore: tam priuatus quàm Imperator nobiliſſimis ↄirtutibus claruit: adoleſcens, Valeriani iudicio, ↄirtutis ergò, & prope imberbis tribunatum accepit, & bello Sarmatico, tranſmiſſo Danubio, quum multa fortiter feciſſet, publicè in concione donatus eſt haſtis puris quatuor, coronis ↄallaribus duabus, coronâ ciuicâ ↄnâ, ↄexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo ↄno, paterâ ſacrificali quinquelibri ↄnâ.* Poſteà Claudij & Taciti iudiciis nobilitatus, cùm multa præclarè geſſiſſet, & mi-

 liti

liti chariſſimus eſſet, multa opera publica (ne miles otio torperet) militari manu perfecit. Tacito occiſo, ab Orientali exercitu Imperator eſt creatus, arreptoque de ſtatuâ templi pallio purpureo indutus eſt, inuitus ac detrectans. Poſteà ampliſſimo accedente Senatus conſulto, votis omnibus concinentibus accepit nomen Cæſareum, nomen Auguſti, Proconſulare Imperium, P. Patriæ reuerentiam, Pontificatum maximum, Ius tertiæ relationis, & Tribunitiam poteſtatem. Imperator multa in Galliis & Germaniâ præclarè geſſit, quæ ex ipſius ad Senatum litteris ſic recenſentur: *Subacta eſt omnis, quâ tenditur latè Germania, nouem reges gentium diuerſarum ad meos pedes, imò ad veſtros, ſupplices ſtratique iacuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis ſerunt, & contra vlteriores gentes militant. Nam & quadringenta millia hoſtium cæſa ſunt, & ſedecim millia armatorum nobis oblata, & ſeptuaginta vrbes nobiliſſimæ captiuitate hoſtium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Præda omnis recepta eſt: capta etiam alia, & quidem maior quàm fuerat antè directa.* Et paulò pòſt: *Voluerамus P. C. Germaniæ nouum Præſidem facere, ſed hoc ad plenora vota diſtulimus.* Multis præterea præclarè in Occidente & Oriente geſtis, cum omnibus quotquot vmquam ante eum fuerant Imperatoribus fortitudine, clementiâ, prudentiâ, & ceteris dotibus par aut ſuperior haberetur, apud Sirmium tumultu militari, (inde nato, quod eos nimium agitare, & in opere exercere videretur) occiſus eſt: cùm imperaſſet annis quinque, ſecundùm Vopiſcum, & ſi Aurelius Victor, alijque tribuant illi annos exactos ſex. Eius extat dictum illud gloriæ & magnanimitatis plenum: *Si vmquam eueniat ſalutare Reipublicæ, breui milites neceſſarios non habebimus.* Hoc innuens, ita ſe de omnibus gentibus victoriam ſperare, vt nihil vltra debellandum relicturus eſſet.

HER-

HERCVLI ROMANO AVGVSTO, vel, AVGVSTI. Hercules dextram ſuper trophæum extendens, ſiniſtrâ clauam & ſpolium leonis tenens. Principem inuictiſſimum Herculi comparat, ſiue Herculem victoriarum & trophæorum eius protectorem deſignat.

VICTORIA GOTHICA. Victoria gradiens palmam & coronam lauream Imperatori velut defert, ſedente ad pedes eius captiuo nudo, manibus poſt terga reuinctis. De quâ Vopiſcus: *In Illyrico Sarmatas, ceteraſque gentes ita contudit, vt propè ſine bello cuncta reciperet quæ illi diripuerant. Tetendit deinde iter per Thracias, atque omnes Geticos* (ſiue Gothicos) *populos famâ rerum territos, & antiqui nominis potentiâ preſſos, aut in deditionem, aut in amicitiam recepit.*

APOLLO CONSERVATOR. De Apolline Conſeruatore ſuprà abunde dictum. Imperatores plerumque Deum aliquem peculiarem habebant tutelarem. Carus videtur Apollini hunc honorem detuliſſe.

MARS VICTOR. Mars galeato capite, haſtâ armatus, trophæum humeris portat. Cetera eodem filo & ſcemate quo ſuprà Tab. XI. Non mirum bellicoſum Principem Herculis & Martis aut titulis cohoneſtari, aut patrociniis gaudere.

IMPERATOR CÆSAR MANLIVS AVRELIANVS, vt eſt apud Vopiſcum, ſeu M. AVRELIVS CARVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Effigies Cari, qui ſub Probo Præfectus Prætorij, militum amore in occiſi locum electus eſt, cuius mortem ſeueriſſimè vindicauit. In Pannoniis bellum Sarmaticum

ticum confecit, sedecim millibus hostium prostratis, viginti millibus captis. Postea in Persas profectus, cùm Persici Imperatoris nomen meruisset, morbo extinctus, vel fulmine, aut, vt alij, ex vulnere: fortè omnibus his concurrentibus, cùm Vopiscus sic narret: *Quum igitur ægrotaret Carus, atque in tentorio iaceret, ingenti excitâ tempestate, immani coruscatione, immaniori, vt diximus, tonitru, exanimatus est, anno Imperij secundo.* Et iure videtur fulmine extinctus, qui cælestes honores affectauerat. Extant enim numi eius inscripti: DEO ET DOMINO CARO AVGVSTO. Item Græcè: ΘΕΩ ΚΑΡΩ. quamquam iste in Christianos superioribus persecutionibus exagitatos indulgentem se ostenderit.

SPES PVBLICA. Spei simulachrum, vt suprà, boni ominis caussâ sub initia Imperij.

TABVLA XLIX.

CARINI, NVMERIANI, DIOCLETIANI, & MAXIMIANI HERCVLEI.

MARCVS AVRELIVS CARINVS NOBILIS, vel, NOBILISSIMVS CÆSAR. Caput Carini laureatum, etsi nondum Imperatoris, quod rarum esse annotat Adolphus Occo. Cari Imperatoris filius, statim à Patre in Imperatorem electo vnà cum Fratre Numeriano Cæsar appellatus, moribus fuit profligatissimis: à patre in Orientem proficiscente Galliæ & Occidenti præfectus, libidine, tyrannide, ceterisque vitiis se fœdauit. Quare & pater si superuixisset, eum Cæsaris titulo priuare decreuerat. Patre mortuo, cùm Diocletianum audiret electum Imperatorem ab

ab exercitu, obuiam progreſſus, multiſque prælijs ſuperatus, tandem à tribuno occiſus eſt, cuius vxorem corrupiſſe dicebatur. De titulo NOBILISSIMI CÆSARIS, extat inſcriptio ab Illuſtriſſimo Card. Baronio citata tomo Annalium 11.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI IVVENT.
M. AVRELIO CARINO
NOBILISSIMO CÆSARI.
COS. PRO. COS.

& ſimilis etiam Numeriani titulus extat, & elogium.

VICTORIA AVGVSTI. Victoria globo inſiſtens & velut pedibus premens iam ſubactum orbem terrarum, laureamque & palmam deferens. Laurea hæc ex participatione rerum paternarum deſumpta, cùm à ſeipſo nihil memoriâ dignum egerit: niſi quod cum Diocletiano aliquoties conflixit, &, vt ait Vopiſcus: *Non defuerit ei ad vindicandum ſibimet Imperium vigor mentis.*

PAX ÆTERNA. Pacis imago, velut greſſu citato obuiam ſeſe ferentis, & herbam porrigentis ſiue ramulum oliuæ: ſiniſtrâ diuarum inſtar haſtâ purâ eſt inſtructa. Pacem præfert, quia profligatæ ſocordiæ vitiis effeminato, de bello illi parum curæ fuit: præcipuè antequam veternum illi excuteret electus in Imperatorem Diocletianus.

IMPERATOR NVMERIANVS AVGVSTVS. Effigies Marci Aurelij Numeriani, qui alter Cari Imperatoris filius à fratris vitiis longiſſimè diſſidens, moratus egregiè (vt ait Vopiſcus) & verè dignus Imperio, eloquentiâ etiam præpollens,

adeò vt publicè declamauerit: ferunturque eius scripta nobilia. Versu autem talis fuisse prædicatur, vt omnes Poëtas sui temporis vicerit. Huius orationi ad Senatum missæ tantum detulit Senatus, vt illi statuam decreuerit in bibliothecâ Vlpiâ ponendam cum titulo: NVMERIANO CÆSARI ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Cum patre ad bellum Persicum profectus, eo mortuo, nimio fletu oculos corrupit, & pòst cum lecticâ gestaretur, factione Arrij Apri soceri sui, qui inuadere conabatur Imperium, occisus est: & fœtore cadaueris, quod tamquam viuum lecticâ portabatur, proditâ morte, vltorem inuenit Diocletianum, qui Aprum suâ manu interfecit tunc Prætorio Præfectum: *cum pridem illi à Druide quadam muliere prædictum in Galliâ, in minoribus adhuc locis*, vt refert Vopiscus, *militanti fuisset, Diocletiane, Imperator eris, quum Aprum occideris.*

ABVNDANTIA AVGVSTORVM. Abundantia cornu copiæ plenum pecuniâ effundit. Refertur ad patris Cari & filij Numeriani ad bellum Persicum proficiscentium dispositiones, quas vocabant, rerum necessariarum, & liberalitatem.

IMPERATOR DIOCLETIANVS AVGVSTVS. Effigies Caij Valeriani Diocletiani, qui Dalmata gente è gregario milite per militares honores adsurgẽs post mortem Cari, Aproque interfecto, Imperator est appellatus. Cumque Imperium alibi à Tyrannis turbaretur, socio opus esse ratus, Maximianum Imperij consortem fecit, qui *Herculeus* dictus, vt *Iouius* Diocletianus. Creauit & Cæsares Constantium Chlorum, & Galerium Maximianum: cumque viginti annis præfuisset, Imperio se abdicauit senex, & Salonis rure suo agriculturæ operam

operam dedit, ita tamen vt, velut Cain tremens semper & pauens, miserrimè viueret, priuatus annis circiter decem: eâ maximè causâ, vt notat Card. Baronius in Annalibus, Imperio depositò, quod cùm crudelissimè Christianos persecutus toto terrarum orbe eos religionemque ipsam delere proposuisset, ei rei se imparem inuenisset. De morte eius Eusebius lib. VIII. cap. XXIX. *Alter*, Diocletianus, *& gradu honoris & designationis tempore primas Imperij partes adsecutus, diuturnâ & asperâ imprimis corporis ægrotatione, pedetentim contabescens occubuit, mente ex pestifero morbo de statu deturbatâ*, (veneno enim lento se interfecit.) additque paulò pòst: *Palatium eius & domus eius fulmine etiam depascente, faceq; cælesti exedente vastata fuit.* Vtique iusto Dei iudicio, cùm & diuinos sibi honores vsurpauerit, & adorari voluerit: & nemo crudeliùs toto orbe sæuierit in Christianos ipso Diocletiano, & Maximiano, eius in Imperio consorte.

IOVI CONSERVATORI AVGVSTI. Stat Iuppiter palliatus fulmine & hastâ instructus, à Ioue denominatione sibi arrogatâ *Iouij*, Iouis maximè cultor fuisse videtur, quod plurimi eius numi ostendunt ab Adolpho Occone producti, vbi Iuppiter frequenter insculptus variis titulis ornatus, FVLGVRATORIS, VICTORIS, CONSERVATORIS POPVLI ROMANI, CONSERVATORIS ORBIS, QVIETATORIS AVGVSTORVM, TVTATORIS AVGVSTORVM, CONSERVATORIS AVGG. STATORIS AVGG. Item simpliciter, IOVIS AVGVSTORVM. Suum Iouem maximè exaltare decreuerãt in odium & quasi contumeliam Christianæ religionis, quam multi tunc amplectebantur, non obstante immanissimâ persecutione.

IMPERATOR MAXIMIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Vultus Maximiani collo tenus. Is Herculeus dictus ad roboris gloriã, & quia Diocletiani, qui Iouius dictus, filius adoptiuus, & Imperij consors factus. Collum videtur ostentare instar Herculei, quia in vastis ceruicibus, ob neruorum soliditatem robur designatur. Iuuenal. de adulatore;

——*Inualidi collum ceruicibus æquat*
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Fuit iste homo ferus feroxque, libidine infamis & morum immanitate: ortu & moribus agrestis, à Diocletiano tamẽ, vt vir militaris, consors Imperij electus, Gallos & Africam pacauit. Adoptato posteà Constantio Chloro, ipse Mediolani, prout Diocletianus eodem die Nicomediæ Imperio se abdicauit. Sed cùm posteà Maxentium filium siue generum, cõtra Constantinum Magnum ad Imperium promouere vellet, eius iussu (cui insidias struxerat,) Massiliæ obsesso & capto illi

Confracta est laqueo pulchra hæc neruosaque ceruix.

Eusebius lib. VIII. cap. XXIX. & Panegyricus Constantino dictus, eum seipsum strangulasse tradunt, & dæmonis incitatione ac pulsu extremum vitæ laqueo interrupisse. Vocat eum Card. Baronius *Christiani nominis immanissimum hostem, & carnificem sanctorum Martyrum crudelissimum.*

HERCVLI COMITI AVGVSTORVM. Hercules clauâ & exuuiis leonis ornatus, arcum sinistrâ ferẽs, vt suprà à Diocletiano maximè cultus Iupiter, sic ab isto Hercules, titulis CONSERVATORIS, VICTORIS, INVICTI, DEBELLATORIS, PACIFERI, COMITIS AVGG. & coniunctim in vtroq; Imperatore, IOVIS ET HERCVLIS CONSERVATORVM AVGG. &c. Puto tamen numos honori Imperatorum ex obliquo indulgere, qui huius & illius dei cognomen

gnomen & imitationem aliquam, & maiestatem quoque affectare videbantur: cùm & diuinos honores sibi arrogarent, & inuidiosis adulantium titulis plus æquo tribuerent. Litteræ infrà positæ S.M.T. videntur designare locum monetariæ officinæ, vbi numus hic signatus fuit, & sic legendum putamus. SACRA MONETA TREVERENSIS. vel, SIGNATA MONETA TREVERIS. Officinam ibi monetariam fuisse ex aliis numis & inscriptionibus constat. Fuêre enim tunc Treueri sedes Imperatorum apud Gallias, & Occidentem.

VIRTVTI HERCVLIS S.C. Hercules clauæ innixus, & manum dextram post terga reflexam tenens: quâ formâ Romæ in Palatio Farnesiorum extant duæ eius statuæ marmoreæ colossêâ ferè magnitudine diuersorum, sed peritissimorum artificum, dextraque poma Hesperidum tenere videtur. Gloriam potentiæ & felicitatis suæ in sui Herculis honorem deriuare videtur.

VIRTVS ILLVRICI TR. Imperator armatus equo insidens, nauim bellicam velut in anchoris consistentẽ transiliens. Illyricum, medium inter Orientis & Occidentis Imperia tunc maximè & præsidiis firmatum, & frequentatũ Principibus ac Legionibus Romanorum, Historici horum temporum testantur. Designatur fortè classis ad mare Adriaticũ stans in anchoris, aut militem transmittens, aut præsidium copiarum in Illyrico ad bellum Orientis paratarum: aut quia in diuisione Imperij, auctoritate eius inter Galerium, Valerium Maximianum huius filium adoptiuum, & Constantium Chlorum factâ, dicto Maximiano cessit Illyricum, Græcia, & Oriens, vt Chloro Gallia, Hispania, & Africa, voluit Illyricum hoc numo nobilitatum: aut denique quia Carinus à patre in

Orientem proficiſcente, accepto Galliarum, Italiæ, Illyrici, Hiſpaniarum, Britanniarum, & Africæ; id eſt, totius Occidẽtis Imperio, in Illyrico maximè reſederit, ita vt (notante Vopiſco) propter luxum in veſtibus & morum inſolentiam, REGEM ILLYRICI illum pleriq; vocitarent: quem quia Maximianus & Diocletianus Auguſti bello vicerunt non ſine Illyricanorum militum auxiliis ac fide, ideo virtutem terrâ mariq; ſibi probatam illius gentis, hoc numo cohoneſtatam voluerunt, vt nobis hactenus videtur. Niſi accipiamus hac formâ illi Statuam equeſtrem virtutis ergô poſitã, vt mari, terraque, & præſertim in Illyrico ſpectatæ virtutis Imperatori.

TABVLA L.

CONSTANTII CHLORI, HELENÆ, GALERII, MAXIMIANI, & SEVERI.

DOMINO CONSTANTIO NOBILI, vel, NOBILISSIMO CÆSARI. Vultus Conſtantij cognomento Chlori qui anteà vnà cum Galerio Maximiano primùm ab Impp. Cæſar appellatus, deponentibus poſtiis Imperium, Auguſtus dictus eſt, & cum Galerio adminiſtrationem ſuſcepit, iſte quidem Orientis Imperio à Diocletiano, ille Occidentis à Maximiano Mediolani ſe abdicante, ſuſcepto: filius Eutropij viri nobiliſſimi gentis Dardanæ, vt ait Pollio, & Claudiæ: pater Conſtantini Magni. Erga Chriſtianos benigniſſimus, pacem Eccleſiæ pedetentim reddidit, naturâ clementiſſimus, diuitiarum contemptor, modici cultus, & omnibus amabilis. De quo Vopiſcus in vitâ Carini: *Statuerat* (Carus Imperator) *Conſtantium, (qui poſteà Cæſar eſt factus, tunc autem Præſidatum Dalmatiæ adminiſtrabat) in locum filij Carini*

rini ſubrogare, quòd nemo tunc vir melior videbatur, illum verò occidere. Mortuus eſt Chlorus in Britanniâ, anno Imperij XIII. *cùm,* vt Euſebius tradit, *poſt data longo temporis ſpatio eximia & ſpectata ſatis regiæ virtutis indicia, tandem repudiatâ penitus impiorum in variis colendis diis ſuperſtitione,* DEVM *omnium moderatorem vltrò agnouiſſet, & ſanctorum virorum precibus ſuam firmè muniuiſſet familiam.*

PRINCIPI IVVENTVTIS. P. ROM. Adſtat Conſtantius in paludamento, haſtam & globum tenens. Honos ei habitus vt adoptato & Cæſari, prout moris fuiſſe Principum liberos indigetandi dictum ſuprà. Litteræ infraſcriptæ (quia ſæpe variant apud exſcriptores hæ notæ) vt nos coniicimus, deſignant *pecuniam Romanam* eſſe, aut Romæ ſignatam vel Populi Romani. Solent enim poſteriore hoc æuo adſcribi loca monetariæ officinæ, vbi pecunia ſignata fuerat, vt infrà etiam obſeruabitur.

VIRTVS MILITVM. C. Caſtra Prætoria, & ante portam eorum Conſtantius in paludamento ſacris operatus. Interpretari poſſumus de ſacrificio ſolemni, quod ſuſcepto per abdicationem Diocletiani & Maximiani Imperio, exercitum luſtrans & à militibus ſacramento renouato ſuſceptus, pro caſtris fecerit, more Romanæ militiæ vſitato.

SPES PVBLICA. Merito cum Conſtantio Chloro, Publica Spes affulſit, ſiquidem is Magnum Conſtantinum orbi dedit, qui rem Romanam labentem in meliorem ſtatum reſtituit, & relicto idolorũ cultu, Chriſtianam Religionem toto orbe propagauit: cuius rei fundamenta Conſtantius hic iampridem iecerat, vt ſupra ex Euſebio dictum.

FLA-

FLAVIA HELENA AVGVSTA. Effigies Flauiæ Iuliæ Helenæ, Christianæ & sanctissimæ Imperatricis, quæ filio Constantino ad Christianam fidem excitato, obiit octogenaria. *Ei defuncta filius numos istos aureos insigniuit,* & AVGVSTAM *appellauit.* Niceph. lib. VIII. cap. XXI. *Hanc maritus coactus à patre adoptiuo repudiauit, ductâ Theodorâ Maximiani priugnâ.* Estque hæc, cuius pietate & solertiâ Crux Domini Hierosolymis inuenta, & venerationi totius orbis exposita fuit. Vide Card. Baron. tom. III. Annal. Eccles. Gretserum, & I. Lipsium de Cruce.

SECVRITAS REIPVBLICÆ. S. TR. Simulachrum Securitatis, quæ stans ramum inuersum tenet. Conuenit hoc prudentiæ cordatissimæ feminæ, cuius consiliis eius maritus & filius Reipub. statum securiorem reddidisse videntur. Litteræ S. TR. designare videntur, numisma istud TREVERIS SIGNATVM. quia maritus, & posteà filius Constantinus Galliæ Imperium diu tenuit securum & pacatum.

IMPERATOR GALERIVS MAXIMIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies C. Valeriani Maximiani, qui *Armentarius* cognominatus, vnà cum Constantio Chloro à Diocletiano & Maximiano Herculeo Cæsar est creatus, & posteà cum eodem Augustus. Natus fuit in Daciâ humili loco, sed in militiâ strenuus. Is repudiatâ priore vxore, filiam Diocletiani Valeriam duxit. Duos adoptauit Cæsares, Seuerum, & Maximinum sororis suæ filium: & Seuero mortuo, in eius locum subrogauit Licinium. Crudelis valdè persecutor Christianorum, libidine exæstuans, & adulteriis stupriſque omnia loca polluens. In Illyrico vlcere inguinario consumptis genitalibus, & vermibus toto corpore scatentibus miserè defecit,

fecit, & cum nullâ medicorum ope subleuaretur, sibi ipsi manus intulit: ita ex Horatij sententiâ;

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

VIRTVS AVGVSTORVM. P. Galerius militari thorace & paludamento, hastaque instructus dextram Virtuti porrigit, quasi fœdus cum virtute militari pactum habens. Verosimile est hoc eodem emblemate numisma signatum vtrique Augusto, Constantio scilicet & Galerio, in honorem & adulationem. Littera P. an Pactionem, & percussum velut fœdus designet inter Virtutem & Imperatorem, an quid aliud, non habeo affirmare: Res coniecturæ tota est, vt in plurimis aliis, posteriore æuo, notis talibus inscriptis, quæ sæpe variât apud sculptores, aut descriptores.

MAXIMINVS CÆSAR. Effigies C. Galerij Valerij Maximini, cognomento Dazæ, quem Galerius natum ex sorore suâ vnà cum Seuero adoptauit, & Cæsarem nuncupatum Orienti præfecit. Christianos acerrimè persecutus, rupto pòst cum Licinio fœdere cùm Orientem sibi soli vendicaret, à Licinio oppressus, ne in potestatem hostium veniret, laqueo se interfecit Tarsi in Ciliciâ.

SOLI COMITI. Sol Oriens in quadrigâ flagello aurigantis instructus. Dictum suprà Orientis Imperatoribus potissimùm cultum fuisse Solem aurigantis habitu, deum peculiarem Orientalium populorum, vt Phœnicum, atque Syrorum.

FLAVIVS VALERIVS SEVERVS NOBILISSIMVS CÆSAR. Collega cum Maximino Cæsaris titulo insignitus à Galerio Imperatore & pòst Augusti, Galliam, Italiam, & Africam rexit. Pòst cùm Maxentius Romæ Prætorianorum factione Imperator designatus esset, contra illum profectus cum exercitu, & viribus impar, in fugam se dedit, Rauennæque captus & occisus traditur: etsi de loco mortis varient auctores, alij Romæ, alij ad Tres tabernas eum interfectum tradentes.

GENIO POPVLI ROMANI. P. TR. Stat Genius cornucopiæ & paterâ instructus. Multi extant numi eius hac & simili inscriptione, & pariter similes cum effigie Maximini. Item inscripti, GENIO CÆSARIS, GENIO AVGVSTI, GENIO IMPERATORIS, BONO GENIO PII IMPERATORIS. Item, GENIO AVGG. ET CÆSARVM N. N. Ammianus Marcellinus lib. XXV. de Cl. Iuliano Augusto loquens: *Ipse autem* (addit) *ad solitam suspensamque quietem paulisper protractus, vidit squalidius proximè speciem illam Genij publici, quem cùm ad Augustum surgeret culmen viderat in Gallis, velato capite cum cornucopiæ per aulæa tristius incedentem*. Ex eius apparitionis tempore videtur hic Genius peculiariùs à Romanis Impp. & frequentius cultus fuisse. De Genio dictum suprà. Notas P. TR. autumo significare, quod hæc sit *Pecunia Treuerensis*, id est, Treueris signata.

TA-

TABVLA LI.

MAXENTII, & CONSTANTINI MAGNI *Numiſmata.*

MAXENTIVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Imago M. Aurelij Valerij Maxentij, qui habitus fuit filius Maximiani Herculei ex vxore Eutropiâ, ſed re verâ (vt certis indiciis colligit Card. Baronius) ſuppoſitus & extraneus, & ei poſteà gener adſcitus, vt inſcriptione numiſmatis docetur, quod habet. IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO SOCERO. & ex aduersâ parte templum cum Dicto, ÆTERNÆ MEMORIÆ. Is à Prætorianis, quos donis & promiſſis ſuos fecerat, Imperator Romæ electus, eo tempore quo Conſtantinus Magnus in Britanniâ à Patre ſucceſſor declaratus fuerat. Paulò pòſt Seuerum aduerſus ſe venientem vicit, & occidit: ſed Conſtantino à Senatu contra tyrannidem eius Romam euocato, ad pontem Miluium ſuperatus, & à Tiberi abſorptus, periit Imperij arrepti anno ſexto, crudelitate, & libidine, ceteriſque vitiis infamis, omnibuſque inuiſus & exoſus.

VICTORIA ÆTERNA AVGVSTORVM NOSTRORVM. Victoria clypeum votiuum ſuper columnâ collocatũ tenens, in quo inſcriptum, VOTIS QVINQVENNALIBVS eum dedicatum, nimirum deuicto & propulſato Seuero. Quod duos Auguſtos nominet, putem ſocerum Maximianũ Herculeum, qui partibus eius ſtudioſè fauit, & eius occaſione Imperium depoſitum repetere attentauit, deſignari: eique in hac victo-

riâ comitem dari. Colligo ex Zosimo, qui lib. II. sic narrat: *Maximianus Galerius his cognitis* (quæ scilicet tyrannicè à Maxentio Romæ gerebantur) *Seuerum Cæsarem ablegat, bellum Maxentio facturum. Eum Mediolano profectum, & cum Maurorum ordinibus accedentem, Maxentius, militum animis maiori ex parte pecuniâ corruptis, atque etiam Præfecto Prætorio Anullino sibi conciliato, nullo negotio vicit. Seuerus fugâ Rauennam elapsus est vrbem munitam & populosam, quæque copiam victus tantam habebat, quanta tum ipsi, tum militibus eius sufficeret. His intellectis Maximianus Herculeus pro filio Maxentio non absre sollicitus, Lucaniâ relictâ, in quâ id temporis erat, Rauennam contendebat; cumque perspexisset Seuerum inuitum eiici non posse, quod munita foret, & commeatu abundâret, sacramentis circumuento Romam vt iret persuasit; quò quidem pergens, vbi quemdam ad locum venisset, quem Tres tabernas vocant, ab insidiis, quas eo loco Maxentius collocauerat, apprehensus necatur, ceruicibus laqueo fractis.*

CONSERVATORI VRBIS SVÆ. H. AE T. Templum Romæ, & in medio eius statua sedentis cum Victoriolâ. Adfectauit hanc laudem etiam plusculis numismatibus, quòd Romanam vrbem conseruasset, velut contra hostium ac Seueri aliorumque incursus, re verâ tamen eam pessumdedit flagitiis, & bello intestino miserè afflixit. H littera, an significet, *Honori*, ambigo. Litteræ istæ A E T. credo signant voculam, *Æternæ*. vt ad vrbem referatur, epitheton aliàs ei frequenter attributum. vel *æterno*. vt ad conseruatorem. Etsi alibi expressum sit A. Q. S. Templi huius similem delineationem vide suprà Tab. XLVII. vbi *æternæ* elogium etiam Vrbi tribuitur.

CONSTANTINVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Genuina

na hæc est effigies Flauij Constantini, qui ob rerum gestarum gloriam MAGNI & MAXIMI titulos promeruit, Constantij Chlori ex Helenâ primâ coniuge filius, & successor ei nuncupatus, litteris atque armis egregius, rebus gestis inclytus, maximè beneficus in Christianam religionem, in quâ, dilato baptismo, vt in Iordane baptizari posset, vt tradit Eusebius (quod tamen aliter cecidit, cùm Romæ à S. Siluestro baptismum susceperit) vt Card. Baronius probat, iam senescens nomen dedit. In expeditione contra Persas, qui Mesopotamiam populabantur, cùm valetudine adfectâ pharmacum sumeret, suspicio fuit, Constantio & Aniballiano fratribus suis auctoribus, venenum admixtum fuisse, atque sic eum obiisse, morbo extinctum, anno ætatis LXVI. Imperij XXXII. Eius vitam & res gestas peculiari opere prosecutus est Eusebius Cæsariensis Episcopus, & alij eius æui Historici. Reliquit tres liberos Imperij hæredes, Constantem, Constantium, & Constantinum. De quibus infrà.

VICTORIA CONSTANTINI AVGVSTI. Victoria spoliis insidens clypeum votiuum tenet, adstante Genio inscriptum VOTIS VICENNALIBVS, scilicet nuncupatis, eum dedicatum. Refero ad eam illustrissimam victoriã quam iuxta pontem Miluium prope Romam de Maxentio tyranno reportauit, quando vix quartâ parte copiarum numero comparandus aduersus Maxentij exercitum centũ millium armatorum, vel, vt tradit Zosimus, centum septuaginta millium peditum & octo millium equitum, auxilio cælitus superueniente, (cum signum Crucis in aëre ei diuinitus ac miraculosè cum lumine apparuisset) fusis fugatisque hostibus, nobilissimum triumphum promeruit: cuius monumentum hodieque extat arcus triumphalis Romæ erectus, hac inscriptione.

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.

QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

à dextris intra fornicem: LIBERATORI VRBIS.
& à siniſtris: FVNDATORI QVIETIS.
& in fronte vnâ: VOTIS DECEM SIC DECEM.
& in alterâ: VOTIS XX. SIC XX.

Quâ de victoriâ vide diffusè Card. Baronium Annal. Eccleſ. tom. III.

VOTIS QVINQVENNALIBVS, MVLTIS DECENNALIBVS. & in clypeo: VICTORIA AVGVSTI. Stat Victoria clypeum votiuum ferens. Eôdem refero quo ſuperiorem numum. Litteras infraſcriptas, P. TR. lego: PECVNIA TREVERENSIS.

VICTORIA MAXIMA. Character hieroglyphicus, & nota *Nominis* ac *Numinis Domini noſtri* IESV CHRISTI. cum adiunctis Græcis elementis A. & Ω. De quibus Chriſtus in Apocalypſi c. XXII. verſ. XIII. *Ego ſum* α & ω *primus & nouiſſimus, principium & finis.* quibus deſignatur Imperium eius æternum. Eſt autem littera X Græca cum trauerſo P. quod eſt principium Nominis CHRISTI. Hac notâ Conſtantinus &

& ſucceſſores vſi in labaris & militaribus ſignis, in memoriam eius ſigni Crucis CHRISTI, quod ei contra Maxentium bellum paranti in aëre apparuit, cum illis verbis, velut ex auro rutilante appoſitis: EN TOVTΩ NIKA. IN HOC VINCE. Quod diffusè narrat Euſebius in vitâ Conſtantini lib. I. cap. XX. XXI. XXIII. & ſeq. & is, qui tunc in eodem exercitu militabat Artemius, cùm temporibus Iuliani exutus Auguſtali Præfecturâ, eò quòd Chriſtianus eſſet, cauſam dicens coram eo, inter alia quoque his eum verbis compellans, ait, proſequens pro Conſtantino defenſionem, quem ille contumeliis infamabat: *Ad* CHRISTVM (inquit) *declinauit, ab illo vocatus, quando difficillimum commiſit prælium aduerſus Maxentium. Tunc enim ei in meridie apparuit ſignum Crucis, radiis Solis ſplendidius, & litteris aureis, belli ſignificans victoriam. Nam nos quoque ipſi aſpeximus, cùm bello intereſſemus, & litteras legimus, quinetiam totus id eſt contemplatus exercitus, & multi huius ſunt teſtes in exercitu tuo.* Verè ergo victoria ter maxima dicenda, quæ non humanis viribus, ſed cæleſti auxilio parta eſt.

FELICIA TEMPORA. Quatuor ſunt pueri, qui quatuor anni partes præferunt. Ver manibus ſupra caput iunctis ſpem non rem oſtentat. Æſtas falce inſtruitur, meſſis variæ ſymbolo. Autumnus & fructus in caniſtro adfert, & leporem venatione partum. Hiems veſtitu communita contra aëris iniuriam, aliquod aucupij fortè inſtrumentum & auem captam præfert, ſymbolum exercitij eo tempore conuenientis, vt ait Horat. Epod.

Sed cùm tonantis annus hibernus Iouis
Imbres niueſq; comparat;
Aut trudit acres hinc & hinc multâ cane
Apros in obſtanteis plagas,

Aut

Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pauidumq; leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.

Designat numus partam Constantini victoriâ omnis temporis felicem opulentiam & securitatem.

PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI SAPIENTIA. Symbolum est coniunctæ cum prudentiâ & sapientiâ militaris virtutis. Columna Sapientiæ robur stabilitatemque designat & constantiam. Noctua Mineruæ sacra, seu ipsam Mineruam deam gentilem sapientiæ tutelarem, siue dotes eius Constantino communicatas. Ad columnam reclinatur hasta, clypeus, & galea, ac si sapientiæ arma se submittant, & *vim*, vt ait Horat. *temperatam* sapientiâ, *dij quoque promoueant in maius*. Quid notæ infra scriptæ SARL. sibi velint, adhuc quæro. Numus cuius adhuc à gentilibus, Constantino nondum fidem Christi professo.

GAVDIVM ROMANORVM. ALAMANNIA. Sedet Alamannia plorans sub trophæo Constantini, cuius luctus hostilis in gaudium Romanis cedit. Panegyr. 11. Constantini. *Germanis rebellantibus ilico obuius adfuisti, & præsentiâ tuâ ne auderent transitum Rheni, terruisti: etiam videbaris rem votis tuis feciſſe contrariam, quòd inhibitâ eruptione non foret materia victoriæ. Sed inopinato consilio vsus, abeundo enim (simulato nuntio maioris in superiore limite tumultus) occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui securos adorirentur. Quò cùm veniſſent, consilium tuum sequitur fortuna, toto Rheni alueo oppleto, nauibus deuectus, terras eorum ac domos mœstas lugentesq; populatus*

populatus es, tantamq; cladem vastitatemq; periuræ genti intulisti, vt vix post illud, nomen habitura sit.

GAVDIVM ROMANORVM. FRANCIA. Sedet pariter lugens Francia, Constantini trophæis succumbens. Extat alius æreus apud Occonem cum titulo: DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM. Sub quâ Sarmatas, Alamannos, Francos, Gothos comprehendit, quos vario tempore variis præliis Constantinus superauit. *Franci* autem ponuntur ab Ortelio in Parergo tab. Germaniæ veteris, eo Germaniæ tractu, quæ nunc Fráconia dicitur, inter Mœnum, Rhenum, & Nicerum, & *Alemanni* non longè inde intra Danubium & Alemannum fluuios.

TABVLA LII.

LICINII, FAVSTÆ, CRISPI, LICINIANI, & DELMATII.

IMPERATOR LICINIVS AVGVSTVS. Imago C. Valerij Liciniani Licinij, qui in Daciâ humili loco natus, in Seueri demortui locum à Galerio Maximiano consors Imperij declaratus est, primùm Cæsar, deinde Augustus, vxorem habuit Constantiam sororem Constantini, filiam Chlori. Posteà ob impietatem, tyrannidem, & turpitudinem, quibus cum omne Orientale Imperium infestaret, tum Christianos potissimum dirè vexauit. Quapropter à Constantino dissidens bellum contra eum gessit, quo primùm in Pannoniâ, tum in Thraciâ, & tertiò denique atque quartò post compositam pacem rebellans apud Chalcedonem superatus, & tan-

dem apud Theſſalonicam priuatus victurus ablegatus, ibiq́ue à Conſtantino occidi iuſſus, non obſtante fide datâ, eò quòd barbaros occultè aduerſus Romanum Imperium ſollicitaret. Alij morbo abſumptum tradunt. Alij à ſuorum equorum vno morſu interfectum, cùm filiam Herinam, eò quòd Chriſtiana eſſet, ab equis diſcerpi mandaſſet. Vixit annis ad LX. in Imperio quindecim.

CONCORDIA MILITVM. Licinius togatus Orbem cum ſuperpoſitâ Victoriâ à Iouis manibus accipere, aut ſimul cum Ioue ſuſtinere videtur. Quare autem hoc ſymbolo concordia militum adſcribatur non video, niſi ſi ex Iouis in Imperatorem indulgentiâ atque beneuolentiâ, eiuſq́ue in Iouem cultu ea nata fuiſſe & ſtabilita intelligi poſſit. Plurimis numis ſuis Licinius Iouem Conſeruatorem ſuum nuncupauit, vt apud Occonem eſt videre, eiq́ue plurimum detuliſſe videtur. Stellam verò intermediam deſignare putem Imperium Orientis. In infraſcriptis litteris KIIT. nihildum mihi lucet.

FLAVIA MAXIMIANA FAVSTA AVGVSTA. Hæc filia fuit Maximiani Herculei ex Eutropiâ, quam Cõſtantino in vxorem dedit, eiq́ue anteà Cæſaris tantùm titulum habẽti, Auguſti nomen contulit, ſummamq́ue Imperij dignitatem adiunxit. Fuit mulier ethnica, & Conſtantino etiam Idololatriæ cauſa. Eius fraude priuignus Criſpus à Conſtantino patre eſt interfectus, quòd nouercæ incesto amori indulgere recuſaſſet, ab ea attentati criminis accuſatus. Sed poſtea per Helenam matrem veritate detectâ, ipſa Fauſta ſceleris pœnas luit, balnei caloribus Conſtantini iuſſu extincta. Qua de re Artemius Præfectus Auguſtalis, idemq́ue martyr coram Iuliano Apoſtatâ Conſtantinum criminante ſic refert: *Ille Conſtantinus*

ſtantinus vxorem Fauſtam iuſtè admodum interfecit, vt quæ priſcam Phædram eſſet imitata, eiuſque filium Criſpum calumniata, quod eius amore captus eſſet, & vim ei conatus eſſet inferre, ſicut etiam illa Hippolytum Theſei filium. Atque primum quidem, qui ſic in matrem inſanierat (vt volebant eius verba) ille cùm eſſet maritus puniuit. Poſteà autem cùm ſciuiſſet eſſe mentitã, ipſam quoque occidit, in eam ferens ſententiam omnium iuſtiſſimam.

SALVS REIPVBLICÆ. Stat vel Salus, vel Fauſta inſtar deæ velata, geminam prolem in ſinu ferens. Indicatq́ue eius fecunditatem ſalutarem Reipublicæ fore. Genuit enim Conſtantino tres filios Imperij ſucceſſores. Litteræ S. M. N. fortè ſic legentur, SACRA MONETA NOVA, vel, NICOMEDIENSIS.

FLAVIVS IVLIVS CRISPVS NOBILISSIMVS CÆSAR. Fuit hic Conſtantini Magni, ex Mineruinâ primâ coniuge, filius: quem cùm Fauſta nouerca inceſto amore deperiret, & ſæpiùs ſollicitatum ad conſenſum ſuæ libidinis pertrahere non potuiſſet, apud patrem accuſatum, ac ſi vim illi inferre tentaſſet, vxori nimis credulus pater apud Polam Iſtriæ interfici iuſſit. Quæ calumnia poſteà detecta in nouercæ caput redundauit, vt ſuprà relatum. Fuiſſe autem traditur gemellus cum ſorore Helenâ, quæ poſteà nupſit Iuliano Apoſtatæ. Fuit adoleſcens præclaræ indolis, vt qui victoriâ contra Alamannos obtentâ ſpecimen virtutis & generoſæ nobilitatis ediderat.

CONCORDIA AVGVSTORVM NOSTRORVM. Dea Concordia caduceo & cornu Amaltheias inſignita, vt ſuprà aliàs, ſedet. Intelligit autem concordiam inter patrem Im-

peratorem Constantinum & Faustam Augustam vxorẽ eius, nisi ad Licinium tunc consortem Imperij in Oriente referamus. Nam ad ipsum filium Crispum patris auspiciis in bello illustrem referre non possumus, cùm ipse Cæsar tantùm, Augusti titulum, vt putamus, per ætatem non fuerit adsecutus. Litteras infrascriptas S.M.N.M. (quia sæpe hæ notævariant) nos hîc per coniecturam interpretamur: SACRA MONETA NOVA MEDIOLANENSIS.

FLAVIVS DELMATIVS NOBILISSIMVS CÆSAR. Fuit iste Annibaliani (qui frater Constantini Magni) filius, à patruo moriente testamento Cæsar nuncupatus. Pòst Constantij patruelis insidiis occisus in Thraciâ. Cæsares isto æuo in Panegyricis Orationibus *Nobilißimorum* titulo velut solemni & consueto indigetantur.

PRINCIPI IVVENTVTIS. Adstat Delmatius ad signa labarum tenes, in quo littera C. Constantini fortè Magni nomen & memoriam cohonestat. Litteræ TR. indicant, nostro iudicio, pecuniam signatam Treueris, vbi tunc Imperatorũ Occidentis ferè sedes, propter opportunitatem Belli contra Germanos & Alamannos. Porrò Treueris fuisse officinam rei monetariæ indicant alij numi huius temporis, inscripti IIIVIRI *monetæ Treuericæ*.

DOMINVS NOSTER VALERIVS LICININVS LICINIVS NOBILISSIMVS CÆSAR. Fuit iste filius Licinij ex Constantiâ sorore Constantini, egregius quoque puer, & ipse insidiis Faustæ, ne peritia eius & ad militiam dexteritas, filiis suis obesset, oppressus.

Iovi

IOVI CONSERVATORI. Iupiter Licinij tutelaris adſtante aquilâ, velut lauream capiti adhuc eius honoris exſorti, deferente. Eſt autem eadem ferè figura numi, quæ ſuprà poſita in Floriano, Tab. XLVIII. niſi quòd inſcriptio variet, & corolla in roſtro aquilæ.

TABVLA LIII.

CONSTANTINI *iunioris*, & CONSTANTII *fratrum*.

FIDES MILITVM. Fides bina legionum ſigna complectitur, quorum vnum coronatum eſt, in memoriam forte victoriæ de Maxentio partæ, cuius fides & virtus eo in prælio egregia.

DOMINVS NOSTER CONSTANTINVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Fl. Claudij Conſtantini iunioris, primi ex Fauſtâ filij Conſtantini Magni, cui (in diuiſione Imperij patre mortuo inter tres fratres initâ) ceſſit Gallia, Hiſpania, Alpes Cottiæ, Britannia cum adiacentibus inſulis. Sed cum fratri Conſtanti bellum moueret, circa Aquileiam interfectus obiit, ætatis anno XXV. Imperij tertio. Hic primus apparet cum diademate gemmato, cum prædeceſſores laureâ, aut aureâ radiatâ exprimi præoptauerint. Gemmatum autem diadema primus videtur vſurpaſſe Heliogabalus, de quo ſic Lampridius in eius vitâ: *Voluit vti & diademate gemmato, quo pulchrior fieret & magis ad fœminarum vultum aptus: quo & vſus eſt domi.* Sed pater huius Conſtantinus Magnus aliam rationem ſecutus, primus publ. lauream coronam in diadema gemmatum commutauit, vt infra Tab. LV. in Conſtante annotamus.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. TROBS. Constantinus diademate gemmato insignis, labarum portans signo transuersæ Crucis inscriptum, hostem pedibus calcat, sinistrâ victoriolam tenet. Communicat cum fratribus duobus victoriæ gloriam, de Britannis rebellantibus (vt arbitramur) partam: de quâ Iulius Maternus libro suo Augustis his dedicato, inter cetera: *Vicistis hostes, propagastis Imperium, & vt virtutibus vestris gloria maior accederet, mutato ac contempto temporum ordine, quod nec factum est aliquando, nec fiet, timentes ac sæuientes vndas calcastis Oceani: sub remis vestris incogniti iam vobis penè maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit.* Et posteà: *Strati sunt aduersantium cunei, & rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt. Missi sunt superbi sub iugum populi*, &c. Possit & de Alamannis intelligi, quos & ipse deuicit, testantibus numis. Litteræ adscriptæ putantur significare, Treueris obsignatam, vel Treueris obrysum signatum.

CONSTANTINVS CÆSAR NOBILISSIMVS. Victoria vt puto de Alamannis gradiens, & sertum laureum atque palmam ferens. Prudentius Christianus hæc Victoriæ simulachra, eiusque numen, quod Romani superstitiosè colebant, sic describens, ridet & refellit:

Vincendi quæris Dominam? Sua dextera cuiq; est,
Et Deus omnipotens: non pexo crine Virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioq; reuincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Sequitur caput Constantij iunioris sine inscriptione: aut fortè

fortè patris, vt vterque numus patre viuo cusus, honorem victoriæ Alamannicæ cum filiis maioribus, Constantino & Constante auersâ sui parte communicet.

CONSTANTIVS CÆSAR. S. M. T. Similis victoria quæ suprà inter fratres, vt videtur, communicata. S. M. T. fortè; SACRA MONETA TREVERENSIS, vel, SIGNATA MONETA TREVERIS.

CÆSARVM NOSTRORVM, VOTIS DECENNALIBVS. S. TR. Corona laurea votis Cæsarum prosperitati nuncupatis in decem annos. S. TR. lego, SIGNATA TREVERIS, supple, pecunia.

DOMINVS NOSTER CONSTANTINVS AVGVSTVS. Altera Constantini effigies, priori similis.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Ipse Imperator scemate quo suprà, nisi quòd ibi mulierem, velut ipsam Prouinciam, hîc virum supplantare videatur. Victoria patri cum liberis, vel tribus fratribus inter se, communis. CO. M. OB. id est, vt quidam interpretantur, CONSTANTINOPOLI MONETA OBSIGNATA.

FLAVIVS IVLIVS CONSTANTIVS PIVS FELIX AVGVSTVS. Fuit iste tertius natu Constantini M. filius, cui in diuisione Imperij cessit Oriens. Is cùm intellexisset Constantem fratrem dolo Magnentij cæsum, Gallo patruele Cæsare declarato & Oriēti Præfecto, Magnentio bellum mouit, in quo hoc consilium iniit, vt omnes quos in exercitu habe-

ret

ret milites Christianâ religione imbuti & sacro baptismo initiati essent, quod si quis facere recusaret, exui eum cingulo militari, & ad propria reuerti iussit, vt auctor est Theodoretus lib. III. cap. III. Notatque Card. Baronius tunc introductum, vt *Pagani* vocarentur, id est, non milites, omnes qui Gentilium Idololatriæ adhærerent. Fudit autem Magnentium memorabili prælio, apud Murcium, in quo desiderata sunt vtrimque quinquaginta tria virorum millia. Posteà item Magnentium superauit. Gallum patruelem insolentiùs agentem occidit. Contra Persas infeliciter pugnauit. Postea Iuliano Galli fratre Cæsare facto, eoque ab exercitu Imperatore declarato, in eum bellum mouit, sed in eâ expeditione febri acutâ extinguitur, anno ætatis XLI. Imperij XXV. Arianâ hæresi infectus Catholicos valde vexauit, vt latè tractat Card. Baron. Annal. Eccles. tomo III.

FELICIVM TEMPORVM REPARATIO. Stat Constantius habitu militari, & labarum tenens, in quo salutaris character Nominis CHRISTI inscriptus visitur. Adstant ante eum captiui duo manibus post terga reuinctis, pilleis siue tiaris induti. Parauit maximè hæc vexilla in fiduciam victoriæ, cùm contra Magnentium bellum moueret, patris exemplum imitatus. R. B. litteræ ambigo quid signent, an fortè ROMA BYZANTINA: non affirmem.

TR. Numus Treueris cusus, vt putamus.

TA-



TABVLA LIIII.

Adhuc CONSTANTII.

FLAVIVS IVLIVS CONSTANTIVS NOBILISSIMVS. Constantij adhuc pueri effigies laureata. Cusus videtur numus patre adhuc superstite, quando Cæsaris titulo ipse cum fratribus insignitus.

VIRTVS CÆSARVM. Castra Prætoria, siue potiùs, porta Castrorum. An fortè hoc illi laudi tribuitur, quod ab ineunte ætate Castris & militiæ adsueuerit. De notis appositis nondum mihi lucet, siue hæc porta sit Constantinopolis Vrbis à patre in honorem filiorum Cæsarum dedicata. Nam stella suprà posita Orientem designare videtur.

PRINCIPI IVVENTVTIS. Stat inter signa militaria adolescens Constantius habitu militari siue laureâ. Notæ SIRM. denotant monetam esse Sirmij cusam in Pannoniâ, quæ ciuitas tunc celebris, quòd ibi nati tradantur Aurelianus, Probus, atque Gratianus Valentiniani filius ex Seuerâ, fortè & Iouinianus, quorum beneficio haud dubiè creuit & exornata est. Rudimẽta putem designari primæ militiæ. & sagum felici auspicio sumptum.

HOC SIGNO VICTOR ERIS. Victoria Constantio coronam imponit, qui labarum dextra tenet mirum est nusquam reperiri inter Constantini nummus, qui hanc inscriptionem præferat, vt obseruarunt Viri docti, cum tamen diuinitus illi Crux cum hisce litteris in cælo apparuisset, quæ

felicissimæ Victoriæ euentum contra Maxentium significauit. Sed filius Constantius rei gestæ memoriam apud posteros hoc percusso nummo transmisit.

DOMINVS NOSTER CONSTANTIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. GLORIA REIPVBLICÆ. Sedent Roma vetus & noua siue Constantinopolis,(vt ego accipio)quia illa galeata & à dextris sedens habitum veteris galeatæ refert, loco etiam digniore posita,ista proram nauis premens videtur designare mari potentem esse, quia Propontidis & Ponti Euxini velut regina. Caput turritum habet,fortè quia recenter egregiè communita, sceptrũ quod tenet fortè massa siue claua ex armorum Thraciorum genere(qualis suprà Tab. XLIII. Daciæ aut Pannoniis attributa) clypeum votiuum ingentem tenent,in quo vota tricennalia, & multiplicata quadragenalia inscripta. Putem signari Occidentalis & Orientalis Imperij in votis pro salute Reipubl. & Principum conceptis consensum,& ex concordiâ gloriam & amplitudinem. Vide infrà simile ferè numisma Tab. LVI. nisi quòd ibi duæ Cruces â lateribus positæ loco subsellij,quod hîc expressum, quas etiam Cruces subsellij reclinationem putem, derasis in numismate lineis imperfectè expressam.

VICTORIA AVGVSTORVM NOSTRORVM. Victoria super spoliis sedens clypeo votiuo inscribit vota decennalia. De Sarmatis bis deuictis, militari elogio, secundò *Sarmaticus* appellatus fuit,vt tradit Amm. Marcellin.

FLAVIVS IVLIVS CONSTANTIVS PERPETVVS AVGVSTVS. VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria cũ palma & trophæo properans, iacẽte ad pedes supplice captiuo

uo cum tiarâ: portat dextrâ coronam lauream, cui inscriptum XXV. fortè annus est, qui fuit illi Imperij vltimus, quando in Persas expeditione inceptâ propter à Iuliano in Galliis Imperium occupatum, reuerti coactus est, cùm & Persarum rex ad propria reuerteretur. In quo itinere Antiochiâ in Occidentem mouens ad Mopsocrenem obiit. Notæ S.M.A N.O. fortè sic legentur: SACRA MONETA ANTIOCHIÆ OBSIGNATA.

TABVLA LV.

CONSTANTIS & IVLIANI.

RESTITVTOR GALLIÆ. Imperator hastam sinistrâ tenens, Galliam dextrâ subleuat, ad Constantis Victoriam respicit, quam de Francis obtinuit, illos enim Galliæ imminentes magno prælio fregit, eosque fœderatos & socios Romanorum effecit, quo Anno Domini CCCCLXIX. contigisse memorat Cæsar Baronius, Constantis & Constantij Imperij annò IV.

CONSTANS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Est iste secundus Constantini M. filius, cui in partitione Imperij cessit Italia, Africa cum Insulis, Illyricum, Dalmatia, Macedonia, Achaia, Peloponnesus, & Græcia. Is cum fratre apud Constantino de regno dissidens bellum gessit, eoque apud Aquileiam occiso, etiam ditiones eius occupauit. Tandem Magnentij tyrannidem occupantis dolo occisus est apud Helenam oppidum Pirenæo proximum, anno Imperij XIII. ætatis XXVII. Fuit in fide Catholicâ & eius defensione laudatissimus.

VICTORIA DOMINORVM NOSTRORVM AVGVSTORVM. Victoria gradiens cum serto & palmâ. TES. Tessalonicæ pecuniam signatam præfert. Vicit autem gentem Francorum, quos & fœderatos socioſque Romanis effecit. Augusti isti sunt Constantius & Constans. Nam Constantinus frater iam obierat.

GLORIA EXERCITVS. Stant duo milites legionarij hastati, & in medio labarum cum inscripto M. quæ littera an Millenariæ cohortis nota sit, an *Magni*, Constantini scilicet, tessera, nescio. Litteræ R.P. infrascriptæ designare possunt Romanam pecuniam, id est, Romæ signatam. Exercitus gloriam labari signo acceptam ferunt.

FLAVIVS IVLIVS CONSTANS PIVS, FELIX AVGVSTVS. Constantis imago coronam ex gemmis consertam siue diadema baccatum gestantis. Exemplum patris Constantini secutus, qui ideo lauri folia aliis Imperatoribus gestari solita, in aurum gemmasque iam Christianus factus conuertisse à Card. Baronio docetur, piâ sanctaque intentione, non luxus & muliebris ornamenti studio, vt eum Iulianus calumniabatur, sed quòd abhorreret à gestamine, quod sciret ex gentilium superstitionis officinâ manasse, vtpote qui antea ex arbore Apollini dedicatâ victrices lauri frondes accipere solitus esset, indignum posteà ratus ornare tempora ex foliis sacratis Apollini, cuius ipse pleraque templa destrui iussisset, viderique velle ab eo donari coronâ, cuius virtutem atque potentiam superasset. Daphnen amænissimum iuxta Antiochiam locum Apollini antiquitus sacrum, superstitione purgatum suo nomine insigniuit, vt ex aliis numis constat inscriptis, CONSTANTINIANA DAPHNE.

VICTORIA DOMINORVM NOSTRORVM AVGVSTORVM. TES. Similis superiori victoria, nisi quòd hîc loco corollæ Trophæum gestet, in cuius summo pilleus in argumentum libertatis barbaris ereptæ. TES. fortè, Tessalonicæ signata.

FELICIVM, vel, FELIX TEMPORVM REPARATIO. Videtur esse Phœnix vnica in terris auis hoc symbolo hieroglyphico expressa, orbi stellato insistens, caputque lumine coruſco radiatum habens. Resurrectionis fortè fidem in Christo testatam voluit, & super sidera futuram immortalitatem: quandoquidem Phœnix venturæ immortalitatis & Resurrectionis semper symbolum habitum. Inde in Passione S. Cæciliæ & sociorum sic legimus: *Maximus cornicularius; qui Valerianum & Tiburtium deduxerat ad martyrium, factus Christianus, per Almachium Præfectum iussus est tamdiu plumbatis cædi, donec spiritum redderet, quem S. Cæcilia iuxta Valerianum & Tiburtium sepeliit in nouo sarcophago, & iussit vt in eo sculperetur Phœnix, ad indicium fidei eius, qui resurrectionem se inuenturum, Phœnicis exemplo, ex toto corde susceperit.* Videtur autem in hoc symbolo ideo caput auis lumine, seu radiis solaribus coronatum, vt exprimatur eius conflagratio spontanea velut igne à sole mutuato caput eius primùm inuoluente: quam rem ex Græcorum sententiâ, ad stabiliendam eorum velut traditione contra ipsosmet, Resurrectionis futuræ veritatem, sic narrat S. Clemens Constit. Apost. lib. v. cap. VIII. *Quamquam aiunt* (Græci) *vnicâ specie se resurrectionem ostendere, non credentes, quæ ipsimet narrant. Aiunt enim auem quandam esse soligenam, vberem præbentem resurrectionis demonstrationem: quam dicunt comparem non habere, solamque in mundo reperiri, Phœnicem appellant, narrantque eam post quingentesimum annum in Ægyptum aduolantem, secumque copiam*

cynnanomi, casiæ, & xylobalsami adducentem in loco, qui dicitur Solis ara, consistere, ibique conuersam ad adspectum solis, ei, vt aiunt, supplicem sponte conflagrare, redigiq; in puluerem, Ex cineribus autem vermem existere, eumque concalefactum in nouam Phœnicem formari, alitemque factum in Arabiam, quæ est vltra Ægyptiacum saltum, aduolare. Cum ergo, vt ipsi aiunt, per auem rationis expertem, probetur resurrectio, cur temerè nostratia calumniantur? Plura hac de re Tertullianus, Cyrillus, Ambrosius, alijque Patres, vbi de resurrectione agunt; Plinius, Pierius, Franc. Turrianus ad Clementis Constitutiones, & alij.

CONSTANS AVGVSTVS. Idem est Constantis vultus, sed diademate baccato distinctus.

VICTORIÆ DOMINORVM NOSTRORVM AVGVSTORVM. Duæ victoriæ ingentem coronam lauream sustinent, in quâ inscriptum: VOTIS DECENNALIBVS, MVLTIPLICATIS VICENNALIBVS. Videtur talis corona designari à Iuuenale Satyrâ x. vbi triumphantem describit:

—— magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vlla.

Concurrunt in laureâ victoriarum Constans & Constantius frater eius, ob res per consortium regni communibus auspiciis gestas.

OB VICTORIAM TRIVMPHALEM. Similes sunt victoriæ seu genij coronam ingentem sustentantes, & peculiariter vt inscriptio dictat, non Victoriæ tantùm, sed Triumphi solemnitati dedicatam, in quâ vota decennalia & multiplicatò quindecennalia inscribuntur.

FLA-

FLAVIVS IVLIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Inscriptio est Iuliani cognomento Apostatæ, quia & fidei Christianæ, & clericatus insuper (quem sedecennis vnâ cum Gallo maiore fratre, crine depositio, susceperat) turpissimus desertor extitit. Quare imberbis hic exprimatur, nescio, quia in aliis post Imperium adeptum numis barbatus apparet, quo habitu Philosophum & quidem sectâ Cynicum profitebatur. Ipse ingenio fuit acri, sed leui, & vario, memoriâ tenaci, eloquentiæ & Philosophiæ studiosus, & per omnia boni Imperatoris famam aucupatus, sed magicis artibus, nefandisque sacris mirè addictus. Specie lenitatis pessimus Christianorum persecutor, quos vt astu opprimeret, litterarum studiis, & militiæ honore iis interdixit. Breue non integri biennij Imperiũ viuo adhucdum Constantio per fraudem occupatum infelici contra Persas prælio, & fine clausit; hastâ confixus incertùm quâ manu delatâ. Constans opinio est eum diuinitus percussum, cùm & moriens blasphemas in CHRISTVM voces iactauerit, sanguine manu excepto, & in cælum iactato, dicẽs: *Vicisti Galilæe*, (sic enim per contemptum CHRISTVM appellabat) vt Theodoretus tradit, siue vt Nicephorus, *Saturare Nazarene*. Et quidem teste Helladio, vt refert Damascenus, à S. Mercurio percussus celebri martyre & pridem Romano milite (vt ex apparitionibus tunc constare visum est) congruo sanè impietatis vindice. Vt qui Mercurio gentili deo seu dæmoni impensè addictus fuerat, alterius diui Mercurij telum persentisceret. Fuit autem insulsus Legislator, vanus Philosophus & Imperator impius, cuius descriptionem velut oraculo graphicè consignatam Card. Baronius profert ex Prouerb. cap. VI. vbi sic apostata depingitur. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat.*

nat. Huic exemplo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit vltra medicinam.

VOTA PVBLICA. Onocephalus videtur, deus Ægyptius Isidis filius, quem capite asinino, & cum sistro exprimebant, siue sit Cynocephalus, seu Anubis canino capite, sistro, & Mercurij virgâ instructus: quâ formâ Isidorus lib. VIII. cap. XI. Etymol. expressisse ait Ægyptios Mercurium suum Trismegistum ad designandum summam ingenij eius sagacitatem & solertiam, vt notat Reuerendissimus Archiepiscopus Antonius Augustinus. Porrò Mercurij studiosissimus fuit Iulianus, non tantum quia ille deus Magiæ præses, de quo Prudentius:

Necnon Thessalicæ doctissimus ille Magiæ;

sed etiam quia Eloquentiæ, quam Iulianus Maximè affectabat: vt apparet ex epistola eius ad Libanium Sophistam virum id æui eloquentiâ celebrem, cum ait: *At tibi nos, tamquam Mercurio eloquentiæ Deo, scripta nostra offerimus, vt aures tuas sustinere possint, tu pro arbitrio tuo statuas.* Porrò Isiaci sacerdotes cum Anubin portarent, eius diei & pompæ, vel vt ipsi loquebantur, humilitatis, memoriam picturâ conseruabant, vt Tertullianus notat in carmine ad Senatorem:

Teq; domo propriâ pictum cum fascibus ante,
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam!
Hæc non humilitas, sed humilitatis imago.
Ædibus illa tuis semper monumenta manebunt.

TA-

TABVLA LVIII.

MAGNENTII & DECENTII *Tyrannorum, itemque* IOVIANI & VALENTINIANI *Imperatorum.*

DOMINVS NOSTER DECENTIVS FORTISSIMVS CÆSAR. Decentius iſte Magnentij, (qui ſequitur) frater, qui Conſtante interfecto in Galliâ Imperium inuaſit, Mediolani ab eo Cæſar factus, audito fratris à Conſtantio ſuperati occaſu, breuem honoris deguſtationem infelici fine clauſit, laqueo ſeipſum interficiens, metu pœnæ rebellionis Conſtantio debitæ. Hic FORTISSIMVS, & in aliis numis NOBILIS, vel, NOBILISSIMVS nuncupatur. Chriſtianæ religionis cultorem ſe profeſſus eſt, ſactis eius nominis titulis ad tyrannidem cum fratre abuſus, vt ex aliis numis apparet, ſed hic numus ſiue notis CHRISTI, ſimulationem detegit, poſt mortem Conſtãtij, & ſpe amplioris ſucceſſus perſonâ depoſitâ.

VICTORIÆ DOMINORVM NOSTRORVM, AVGVSTI ET CÆSARIS. Duæ victoriæ ſingulorum eumdem clypeum votiuum, coronâ laureâ circumdatum, ſiue ipſam magnam coronam ſuper columnâ ſolidâ collocatam ſuſtinentes, in quâ vota quinquennalia, & multiplicanda ad decennalia inſcribuntur. Omen vanum & votum celeri & infelici euentu eluſum.

IMPERATOR CÆSAR MAGNENTIVS AVGVSTVS. Effigies Magnentij Tyrãni ſine diademate aut lauru, ſed cum paludamento ſeu purpurâ. Erat iſte Magnentius in Galliâ

Legatus militibus Iouianis, & Herculianis legionibus à Diocletiano & Maximiano, quos instar Prætorianorum comitabantur, institutus. Qui Chrestio & Marcellino, aliisque conspirationis in Constantem auctor fuit, atque in conuiuio, ad quod Marcellinus natalem filij simulans pleroſque aduocauerat, in multam noctem protracto Augustoduni, (cum quasi ad ventris secreta secessisset) purpuram sumpsit, quâ re cognitâ Constans fugam cepit, & ab immissis interceptus occisusque fuit. cum à legato suo sibi non metuisset, homine Christianæ religioni, vt videbatur, addicto, quamquam Magnentius eam simulasse potiùs arguitur ex pòst gestis, quàm verè & ex animo professus, quia vt obseruat Card Baronius, simul ac liberas nactus videbatur habenas Imperij, proscripta deorum sacrificia lege Constantis restituit idololatris: sed breui pòst à Constantio superatus, & Lugdunum fugiens, salute desperatâ seipsum gladio confodit, mense Imperij arrepti XLII.

VICTORIA AVGVSTI LIBERATORIS ROMANORVM. Stant Victoria, & alia diua trophæum tenentes: an Romam ea habitu stolato exprimat ambigo. Hasta pura diuâ signare videtur.

DOMINVS NOSTER IOVIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Iouiani, qui Iuliano occiso statim in Imperatorem electus fuit, etsi inuitus, quia Christianæ religionis studiosissimus erat, quæ electio eo magis Dei voluntati, quâ Principes deliguntur, non hominum studiis adscribenda fuit, quod non obstante eo, quòd multi insignes Duces in exercitu essent à Iuliano in honore habiti, quòd gentilium sacris essent addicti, vnanimis tamen ferè omnium procerum consensus in Iouinianum inclinârit. Quod Illustrissimus Card.

Card. Baronius putat accidisse, ex resipiscentiâ eorum, qui coacti, vt Iuliano placerent, eius impulsu, non ex animi sententiâ à sacris Christianis defecerant. Iouianus ante confessione fidei clarus fuerat, paratus potiùs cingulum ponere & militiâ exauctorari, quàm fidem (Iuliano impellente & conditionem eam omnibus proponente) Christianam deserere: quamuis ob spectatam parentis virtutem militare fuerit permissus. Erat enim Varroniani notissimi comitis filius, & domesticorum ordinis primus. Describit eum Theodoretus *virum, neque ducem fuisse, neque ex eorum numero qui secundas post duces obtinebant, sed tamen apprimè nobilem & illustrem, & multarum rerum causâ insignem, quippe qui corpore robustissimo fuerit, animoq; excelso, quinetiam in bello gerendo, & in acrioribus certaminibus facilè primas obtinere soleret. Porrò & contra imperatorem liberè loqueretur, tyranni (Iuliani) potentiam contemneret, & animi propensionem cum Saluatoris martyribus coniungeret.* Non antè assensus est militibus Imperium deferentibus, nisi se itidem Christianos esse clamassent. Fœdus cum Persis pangere coactus fuit in triginta annos, vt exercitum locorum difficultatibus, & hostilibus copiis septum, omnisq; commeatus inopiâ laborantem, saluum reduceret. Ipse, vt obseruat Illustrissimus Cardinalis Baronius, labarum à Iuliano (sublato Saluifici nominis charactere) deformatum, in pristinam formam restituit: Orthodoxos etiam Episcopos & Sacerdotes, interque eos magnum Athanasium Ecclesiæ Alexandrinæ reddidit. Cumque pacem Ecclesiæ reddere, cõcordiamque, sopitis controuersiis & hæresibus, intenderet, præclaraq; alia moliretur, repentinâ morte in oppido Dadastanâ, quod Bythiniam à Galatiâ diuidit, extinctus est, siue ex cruditate stomachi longi itineris Persici incommodis contractâ, seu potiùs ex odore & vapore noxio, cubiculi recenti calcis tectorio incrustati, per prunarum ad exsic-

exsiccandum parietem congestarum copiam excitato, in quo ad quietem se composuerat. Suidas autem eum fungorum, quos cænârat veneno periisse tradit octauo Imperij sui mense. Cardinalis Baronius in offensum numen causam breuis Imperij & repentini fati conferens, eamque indagans, existimat in eo maximè peccasse Iouianum, quòd Maximum ac Priscum Philosophos Magosque coluerit, atque in honore habuerit; quorum studiis mala omnia sub Iuliano in Christianos promanauerant, insuperque quod cùm Tarsum peruenisset, exornandum ibi Iuliani sepulchrum decreuerit, hominis ne cespititiâ quidem sepulturâ digni, cùm ornatu sepulchri acta defunctorum tacitè approbari consueuerint.

VOTIS QVINQVENNALIBVS, MVLTIPLICATIS DECENNALIBVS. Quernea, siue laureâ sit, corona, Votis pro salute Imperatoris susceptis, dedicata. R. CONST. fortasse est, d ROMA CONSTANTINIANA, id est, Constantinopolis, vbi numus cusus. Vouent Imperatori laurus ex hostibus, sed breue paucorum mensium Imperium votorum eos reos non fecit. Quernean tamen seu ciuicam coronam meruit, quòd exercitum in hostili ferè manu obsessum, seruauerit, & incolumem reduxerit.

DOMINVS NOSTER VALENTINIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Valentiniani, patre Gratiano Funario nati, robustissimo viro, qui inde dictus funarius, quòd funem tenenti quinque etiam robusti milites manu extorquere non possent. Is ab exercitu Iouiani Nicæam Bithiniæ progresso, vt ait Ammianus: *Nullâ discordante sententiâ, numinis aspiratione cælestis, electus est, agens scholam scutariorum secundam, relictusq; apud Anxyram posteà secuturus, vt ordinatū est;* quare

quare donec accerseretur, decem diebus Imperij vacauerunt gubernacula. Fuit vir militaris, & bellicâ virtute, fortitudine, ac magnanimitate clarus, multisque aliis virtutibus, nisi quòd attentior ad rem haberetur, & in vindicandis criminibus ad crudelitatem vsque seuerior; magis tamen illustris confessione CHRISTI, ob quam à Iuliano militari cingulo priuatus, & exilio mulctatus fuerat. Valentem fratrem (ob molem & magnitudinem vrgentium negotiorum) consortem Imperij declarauit tunc Orthodoxum, etsi pòst in Arianam hæresim prolapsum: eumque Orienti præfecit ipse Occidentale Imperium tuendum suscipiens. Gothos Thraciâ expulit, Parthos à Syriâ submouit per Legatos, Germaniam etiam per Theodosium pacauit. Tandem anno Imperij XI. Quadorum legationem audiens latrocinia excusantium, subito iracundiæ impetu & vocis contentione arteriâ ruptâ sanguinem vomens expirauit, anno ætatis LV.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ: KONST. Stat Imperator paludatus, dextrâ exaltatum salutare Crucis vexillum in labato portans, eoque velut se fulciens; sinistrâ, victoriam Orbi terrarum insistentem, eique laurum deferentem tenens. Erat sub initia Imperij eius, Reipublicæ Romanæ status infelici Iuliani expeditione & Imperio, valde perturbatus, & collapsus. Christianus itaque Imperator (vt & Valens, infra consors & successor eius) hoc emblemate profiteri voluit, se in solâ Cruce CHRISTI erigendâ eiusque nomine glorioso (cuius signo dextram armatam tenet) exaltando, restitutionem Reipublicæ & Victorias in hostem moliri. Crucis etenim exaltatione restitui maximè par fuit, quæ Crucis contumeliâ, & abdicatione per Iulianum essent collapsa. Tum etiam signum & vexillum Crucis optimè per Imperatorem erigitur,

(vt per Moysen serpens olim in deserto) vt quoscumque Romani Imperij milites siue ciues Iuliani auctoritas, & malitia in letalem animæ noxiam & periculum cõiecisset, inspectum salutare signum sanitati redderet, & vitæ redonaret. Habet & Occo alios numos, in quibus Imperator Crucem nudam tenet. Porrò litteræ KONST. indicare videntur numum Constantinopoli signatum, orthographiâ Græcâ. Cæterùm, cum hîc labari forma cum charactere Christi Domini expressa sit, oportunè descriptio eius vexilli dari hoc loco videtur, quod Eusebius refert à se visum, Constantino ipso ostendente, atque ita graphicè describit, lib. 1. vitæ Constantini, cap. XXIIII. *Hastile*, inquit, *oblongum erectum que, auro vndique obductum fuit, quod cornu habuit transuersum ad formam Crucis constructum: supra in fastigio eius operis corona affixa, lapidibus pretiosis & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis Saluatoris nota inscripta, duobus solum expressa clementis, id est, duabus primis litteris Græcis nominis* CHRISTI. *Erat* P. *in medio litteræ* X *curiosè & subtiliter inserta, &c. quæ totum Christi nomen perspicuè significabant: quas quidem litteras deinceps semper Imperator in galea gestare consueuit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transuerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit: regalis videlicet & magnifica textura mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè concinnatorum, luciſque suæ claritate pulchrè resplendescentium depicta, & multo auro intexta, quæ dici non potest quàm tam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitârit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum longitudinis latitudiniſque, Crucis mensuram penitus exæquauit. Oblongum verò & erectum hastile in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsius Crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias aureamp; pij Imperatoris pariter ac liberorum suorum effigiem ad pectus vsque concinnè descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator, tamquam hostilis*

hostilis cuiusque & infestæ violentiæ propugnaculo semper vsus est, cuius expressæ similitudines mandauit, vt vniuersum exercitum perpetuo antecederent.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ. ANTO. seu potiùs ANTI. vt est apud Adolphum Occonem. Idem emblema cum præcedenti, nisi quod hoc cusum videatur fuisse Antiochiæ, Syriæ tunc Metropoli.

VICTORIA AVGVSTORVM. TR. OBS. Numus cusus honori vtriusque Imperatoris Valentiniani scilicet & Valentis: qui in solio siue throno iuxta se mutuò sedentes togati, orbem simul tenent, angelo desuper eos fulciente, & sub alarum suarum velut vmbraculo, ab omni hostili incursu protegente. Deferunt Christiani Principes victoriæ de Gothis partæ gloriam, tutelæ Numinis, & angeli (vt quondam Ezechias ab Assyriorum obsidione, deleto per angelum internecione hostili exercitu, liberatus) propugnantis præsidio & salutari custodiæ. Litteræ TR. OBS. designare videntur numisma Treueris obsignatum, siue cusum.

VALENTINIANVS, PIVS, AVGVSTVS. Imperator galeâ, & scuto atque hastâ & thorace armatus, & in bella consurgens. stellas aliquot in casside expressas gerit: an quòd cælesti se munimine tutum victoriam sperare ostendat; an quod Orientis Imperium, quod stellulâ designabant, se vindicare paratum, & totum Romano asserere promptum demonstret? thorax autem squamatus est & hamulis consertus.

GLORIA REIPVBLICÆ. TES. Sedent Roma Vetus, & Noua, siue Constantinopolis, Crucibus ad latera positis, inermes,

inermes, quasi in solâ Cruce fiduciam habentes, tenentque clypeum votiuum infrà scriptis votis quinquennalibus, & multiplicatis decennalibus, more iam vsitato. TES. fortè Tessalonicam designat huius monetæ officinam, vt suprà etiam Tab. LV. in Constantis numis. Stellula certè Orientem designare videtur.

TABVLA LVII.

VALENTIS *habet numismata.*

DOMINVS NOSTER VALENS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Valentis, qui Valentiniani frater & ab eo Imperij collega & Augustus designatus fuit. Primùm Christianus orthodoxus, post in hæresim Arianam dilapsus vxoris persuasione, Episcopos Catholicos, alioqúe variè vexauit & persecutus est: quâ in persecutione Basilij & Athanasij Magnorum Præsulum virtus & constantia mirificè enituit. Postea anno Imperij XV. contra Gothos & Schytas inconsultiùs pugnans sagittâ vulneratus, & in vile tugurium deductus est, quod cùm clausum expugnare barbari, ibiqúe tempus terere consultum non putarent, incenderunt nescientes in eo Imperatorem teneri: ita flammâ absumptus est anno ætatis L. Obserua hic fibulam paludamenti, crescente luxu (vt suprà etiam in Valentiniani effigie) gemmatam, & multis vnionibus insignem.

VOTIS DECENNALIBVS, MVLTIPLICATIS VICENNALIBVS. ANT. Corona laurea votis nuncupatis dedicata. Numus Antiochiæ cusus. Præsagium de victoriis contra Gothos & Schythas, sed infelice (vt pòst apparuit) exitu:



exitu: niſi ad priora geſta referamus, & ei cum fratre communia.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ. Stat Valens eodem habitu quo ſuprà Tab. præcedenti frater, Imperij conſors & ſigno viuificæ Crucis in labaro dextram armatus: Victoriam tenet orbi inſiſtentem, & capiti eius laurum & palmam promittentem, quo emblemate ſe omnem reſtituendæ Reipubl. & victoriarum ſpem in auxilio CHRISTI & Crucis vexillo ponere demonſtrat. Litteræ S.M.N.E. fortè ſic ſonant: SOLIDVS MONETÆ NOVÆ EPHESINÆ, vel EDESSENÆ. vel SACRA MONETA NOVA. E. Iure autem ipſe charactere CHRISTI in labaro poſito gloriatur: quia cum à Iuliano labarum, ſublato hoc ſigno Crucis, & crucifixi, cuius ipſe inimiciſſimus erat, deformatum eſſet, ipſe valens ſacro velamini idem denuo reſtituiſſe obſeruatur.

VICTORIA AVGVSTORVM. infrà, CONS. Victoria ſuper ſpoliis hoſtium ſedens clypeo votiuo columnæ ſolidæ innixo vota quinquennalia, & multiplicata decennalia inſcribit. Columna ſoliditatem, & victoriarum denotare videtur perſeueraturam conſtantiam. Eſt autem Victoria de Gothis, Saxonibus, aut Germanis vtriúque Imperatorum communis.

DOMINVS NOSTER VALENS PERPETVO, FELIX, AVGVSTVS. Effigies & inſcriptio eadem quæ ſuprà; niſi quòd hic perpetua felicitas per adulationem illi tribuitur qui & euentu præliorum & vitæ fine, vt ſupra notatum, & animæ etiam forte fuit infeliciſſimus: Diadema multis gemmis roſarum inſtar diſtinctum rutilare apparet, quod à more Conſtantini

ſtantini tractum, qui laureas coronas hoc ſcemate immutauit, ex cauſa, quam ſuprà attulimus.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ. Emblema vt ſupra, niſi quòd alibi numus cuſus ſcilicet, KONS. PP. quod fortè legas: KONSTANTINOPOLI PERPETVÆ. vel, KONSTANTINOPOLI PERCVSSA PECVNIA. Stellula deſignat (vt puto,) Imperium Orientis. Labari forma nonnihil variare videtur, marginibus, bullis ſiue ſcutulis aureis exornatis, ad maiorem dignitatem.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ. Idem vt ſupr. numiſma cuſum Conſtantinopoli.

VICTORIA AVGVSTORVM. Sedent in ſubſellio, ſeu cathedrà, Valentinianus & Valens Orbem ſimul tenentes, angelo deſuper expanſis alis, id eſt, diuino auxilio, vt ſuprà in Valentiniano, eos protegente, aſſurgente ſeu enaſcente inter vtrumque palmæ ſeu lauri ſurculo. Alludunt ad dictum Prophetæ Regij. Pſalm. XVI. *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* Et Pſalm. LX. *Protegar in velamento alarum tuarum.* Et Pſalmo XC. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.* Et ibidem: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* De litteris TROBT, nihil adhuc mihi liquet.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ. Idem emblema cum ſuperiore, niſi quod hic in labaro nudum ſit ſignum Crucis, & idem quoque ſacroſanctum ſignum ad latus appictum. Atque ab hoc ferè æuo (id eſt iam ante annos M.C.XL.) ritus ille Catholicæ Eccleſiæ initium ſumpſit, quo vexilla militaria Crucis

Crucis formâ inſigniuntur: quod hæreticos noſtros ſtauromaſtigas, & crucis hoſtes meritò confundit. Numus cuſus Antiochiæ.

TABVLA LVIII.

VALENTINIANI IVNIORIS, & GRATIANI *fratris eius.*

DOMINVS NOSTER VALENTINIANVS IVNIOR, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Valentiniani, qui frater Gratiani, ſed non vterinus. Hunc Valentinianus pater ex Iuſtinâ genuit alterâ vxore: frater Gratianus, poſt patris obitum conſortem Imperij fecit, & in Italiam miſit. Quo poſtea dolo Maximi circa Lugdunum interfecto, ipſe in Illyricum fugit & inde ad Theodoſiũ in Orientem contendit. Iſtum Imperatorem iuuenem magnis virtutibus illuſtrem dilaudat D. Ambroſius: quem cum ad baptiſmum ab eo ſuſcipiendum, Viennæ in Allobrogibus agens Mediolano euocaſſet, ab inſidiis Arbogaſtis Comitis ſui, & Alanorum Præfecti præuentus, & in cubiculo ſtrangulatus fuit, adhuc Catechumenus, anno Imperij XVII. vitæ anno XXVI. Cuius funus ex voluntate Theodoſij Ambroſius procurauit, defunctumque panegyricâ oratione dilaudauit: quæ inter opera eius exſtat.

GLORIA ROMANORVM. Virtus militaris, ſiue Imperator hoc ſcemate naui roſtratæ inſiſtens, freta fulcat, Angelo ad clauum ſedẽte. Aut felix traiectus Imperatoris deſignatur, aut ſtatua ei fortè poſita: quâ deſignetur, Virtutem eius præſidio numinis tutam turbidas Reipublicæ (quæ per nauim

ſolet exprimi) vndas inoffenſo veſtigio tranſmittere, in eoque gloriam Romani Imperij ſitam, quòd ipſam vnà cum Imperatore in tutelâ ſit Angelorum, eorumque gubernatione dirigatur. Felicitas etiam proſperi curſus ſpondetur, quæ per triremem, vt ſuprà Tab. XXXVII. deſignari ſolet.

VICTORIA AVGVSTORVM. Sedent Gratianus, ſeu potiùs Theodoſius, & Valentinianus iunior, orbem ſimul tenentes, & ſub angeli alarum tegmine, (vt ſuprà Tab. præcedente in Valente) protecti, & ſecuri. Circulos habent circa caput, quali formâ hoc & poſteriore æuo aureolas ſanctorum defunctorum depingi ſolitas obſeruamus. An fortè hîc ergo Valentinianum & Valentem defunctos exprimant, quaſi illorum iam diuorum patrocinio & ſuffragiis victorias adſcribant, dubitari poſſit, quod tamen non exiſtimo. Litteræ AQOBF. ſi coniecturam admittunt, nobis ſignificabunt, AQVILEGIÆ OBSIGNATAM FELICITER pecuniam: ſcilicet poſt deuictum iuxta eam Maximum communibus auſpiciis, operâ Theodoſij.

DOMINVS NOSTER VALENTINIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Eiuſdem Valentiniani vultus pleniore & adultiore filo corporis.

VICTORIA AVGVSTORVM. Sedent duo Imperatores orbem tenẽtes. & ab angelo protecti: &, vt ſuprà, pro laureis ſiue diadematibus aureolas circa caput habentes, de quibus adhuc quæro. Scio Card. Baronium adferre tom. Annal. Eccleſ. 1111. in Theodoſio, eiuſdem Imp. numiſma, in quo Apoſtoli S. Ioannes Euangeliſta, & S. Philippus, (qui eum per viſum ad pugnam contra Eugenium Tyrannum capeſſendam,

ſendam, vt præeuntes animauerant) ſic ſedentes expreſſi, hiſce aureolis inſignes: ſed illi dextrâ volumen Euangelij, & ſiniſtrâ ſingulas Cruces, atque inſuper habitum ſacerdotalem quaſi caſulam ſuper longis & talaribus veſtibus ferunt, & iis indiciis diſtinguuntur. hîc apparent habitus togatorum, Romano more, Imperatorum, itaque ad ſanctos referre vix poſſimus.

CONCORDIA TRIVM AVGVSTORVM. Sedet haſtata Roma, & globum ſeu orbem ferens proram nauigij pedibus premens: quo ſigno exiſtimem deſignari Romam nouam, ſiue Conſtantinopolim. Tres autem iſtos Auguſtos accipio Gratianum, Valentinianum & Theodoſium, qui paribus auſpiciis per annos ferè quinque Imperium rexerunt. Litteræ CONOB. quid ſibi velint diſputatur ab Antiquariis. Cedrenus citatus ab Adolpho Occone ſic litteras interpretatur: CIVITATES OMNES NOSTRÆ OBEDIANT BENERATIONI. Melius tamen ipſe putat eas explicatas in Ortelij Viuianique Itinerario: CONSTANTINOPOLI OBSIGNATA, ſupple, Pecunia.

DOMINVS NOSTER GRATIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Gratiani, qui Valentiniani ſenioris ex Seuerâ primâ vxore filius. Religioſus & pius Princeps, & titulo Chriſtianiſſimi inſignitus, S. Ambroſio carus & familiaris, cuius precibus inſignem de Barbaris Victoriam reportaſſe creditur. Orthodoxas partes fouit, hæreticos edictis & aliis modis compeſcuit. Alemannorum triginta millia in Gallias irrumpentia circa Argentoratum fudit. Theodotium Ducem in Gothos Thraciam infeſtantes miſit, eumque conſortem Imperij declarauit, & Thraciæ atque Orienti

præfecit. Mores eius sic D. Ambrosius descripsit: *Fuit ipse fidelis in Domino, pius atque mansuetus, puro corde: fuit etiam castus in corpore, qui præter coniugum nescierit fœminæ alterius consuetudinem.* Tandem Maximi insidiis, à militibus in Imperatorem electi, periit, anno ætatis, secundùm Victorem XXXVIII. secundum Baronium XXVIII. ex Ammiano, Imperij XVI.

GLORIA ROMANORVM. FRA. Gratianus labaro simplici instructus captiuum velut capillis apprehẽsum trahens. Videtur Victoria esse Gratiani de Barbaris: fortè Alemannis in Galliam irruentibus, iisque admixtis Francis, quod litteræ FRA. significare videntur, maximè cùm suprà Tab. LI. habuerimus in Constantino trophæum de Franciâ subactâ, è quâ tunc gaudium Romanorum conceptum. Litteræ SMOP. quid sibi velint non capio, an fortè SACRA MONETA PRINCIPIS?

PRINICIPI IVVENTVTIS. Stat Gratianus hastâ armatus & globum ferens, circulum siue aureolam circa caput habens. Principem militarium virorum se præfert. Numum putem signatum, vt primùm à patre *Augusti* titulo nobilitatus fuerat. De circulo caput ambiente mihi non liquet. Litteræ infra positæ S. M. TR. fortè sonant, SACRA MONETA TREVERENSIS. vel, SIGNATA MONETA TREVERIS.

VICTORIA AVGVSTORVM. Sedent, vt suprà, Gratianus & Valentinianus iunior Orbem tenentes, & Angeli sub alis protecti: quo de emblemate suprà dictum. Triplex inscriptio eâdem formâ, litteris infrà positis tantùm variantibus, videtur significare numos eiusdem victoriæ de Alemannis,

nis, seu Gothis partæ indices, variis monetariis officinis cusos, Constantinopoli puta, & Treueris, & alibi.

TABVLA LIX.

MAXIMI *Tyranni*, & THEODOSII *Imperatoris.*

VICTORIA AVGVSTI. Victoria cum Coronâ & Palmâ, globo insistent. Maximus plures victorias de Romani nominis hostibus, Francis, Germanis, Gothis retulerat, in cuius rei memoriam nummos hic signatus; sed malo omine, victoria globo insistit, vt rei lubricæ; victus enim moxa Theodosio, capite teneatur.

DOMINVS NOSTER MAGNVS MAXIMVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Magni Maximi, qui ex prosapiâ Constantini Magni fuisse perhibetur. Vir militaribus expeditionibus contra hostes Romani Imperij Francos, Germanos, Gothos, feliciter obitis illustris, cùm exercitui gratus esset, eâ occasione ad Imperium assurgendi consilium cepit, Dux exercitus in Britanniâ & è Britanniis oriundus, in Gallias transmisit, ibique Imperium arripuit, Treuerisque sedem eius collocauit. Post Gratianum Imperatorem dolo per Andragatium Ducem suum, seu Magistrum equitum occisum Imperij titulos vsurpauit, & in amicos eius etiam cædibus grassatus est: sed Theodosio ei tandem obuiam procedente, ad Scisciam victus & Petauionem: deinde Aquileiam fugâ elapsus, ibique obsessus, & à militibus suis captus, atque Theodosio traditus, Imperatoriis primùm insignibus exutus, &, non obstante Theodosij animo in clementiam

&

& commiserationem inclinato, à militibus ex oculis eius abreptus capite truncatus est, anno Imperij arrepti quinto. Ei S. Martinus, si in Italiam moueret, obitum ante prædixerat. Ad huius exercitum in Armoricis consistentem S. Vrsula cum sociis Virginibus ex Angliâ missa traditur, quæ cùm per tempestatem in Germanicum littus eiectæ essent, à Melgâ Pictorum & Gauno Hunnorum piratis, quasi pro Gratiano mare incursantibus captæ, & libidini eorum morem gerere nolentes pro virginitate & fide martyrium alacriter subierunt.

RESTITVTOR REIPVBLICÆ. Stat Maximus salutari signo in labaro expresso dextram fulciens, & Victoriam sinistrâ tenens; speciosò cum reliquis Imperatoribus titulo Rempubl. restituendam præferens, cum reuerà, nisi diuinâ ope à Theodosio superatus fuisset, Romanum Imperium ciuilibus bellis pessumdedisset. Litteræ infrà positæ, vt putamus, sonant: SIGNATA MONETA TREVERIS. ibi enim, vt diximus, sedem fixerat.

DOMINVS NOSTER THEODOSIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Theodosij laudatissimi Principis, & clementiâ, pietate, Orthodoxâ religione, rei militaris scientiâ, ceterisque dotibus magno Imperatore dignis illustrissimi. Eum, præter cumulatissima Diui Ambrosij, cæterorumque Christianorum elogia, etiam Gentilis scriptor Aurelius Victor, veritatis solius testimonio & respectu sic describit: *Fuit*, inquit, *Theodosius moribus & corpore Traiano similis, quantum scripta Veterum & pictura edocent. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os, absque eo, quod ei aliquantulum vellendo steriles genæ, neque tam ingentes oculi erant; nescio an & tanta gratia, tantusque flos in facie, seu tanta dignitas in incessu. Mens verò*

rò prorsus similis, adeò vt nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri. Clemens animus, misericors, communis, solo habitu differre se cæteris putans: in omnes homines honorificus, verum effusius in bonos: simplicia ingenia æquè diligere, erudita mirari, sed innoxia: largiri magno animo magna: amare ciues vel priuatim contubernio cognitos, eos q; honoribus, pecuniâ, beneficiis cæteris munerari, præsertim quorum erga se velut patrem aspero casu officia probauerat. Illa tamen quibus Traianus aspersus est, vinolentiam scilicet, & cupidinem triumphandi, vsque eo detestatus est, vt bella non mouerit, sed inuenerit: prohibueritque lege ministeria lasciua, psaltriasque comessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, vt consobrinarum nuptias vetuerit tamquam sororum. Laudat illum deinde à studio historiarum, ab animi moderatione, & iræ freno, additque quod raræ virtutis est, *meliorem eum haud dubiè fuisse post auctam annis potentiam regalem, multoque maximè post caulem victoriam.* Deinde pietatem in consanguineos, ciuilitatem in domesticos, exercitiorum modum, & continentiam ac sobrietatem eius deprædicat: sanè vt inter optimos ille annumerandus habeatur. Rempublicam Gothicis armis pœnè oppressam restituit, Maximum Tyrannum oppressit, Eugenium Tyrannum & Arbogastem, in Valentiniani vltionem, sustulit. Ecclesiæ Orthodoxæ curam & defensionem suscepit, filios Arcadium Orientis Imperio, Honorium Occidentis præfecit. Postea Mediolani in morbum incidens, ex hac vitâ migrauit anno ætatis quinquagesimo, secundùm Victorem, quem sequitur Card. Baronius, sexagesimo secundùm Socratem: Imperij XVII. inchoato, CHRISTI Domini CCC. XCV.

REPARATIO REIPVBLICÆ. Stat Theodosius, & Rempub. Romanam collapsam à terrâ subleuat. Verè illi hæc

laus attributa, quod Rempub. à Gothis periculosè oppugnatam, à Maximo & Eugenio, Tyrannis, aliisque discerptam, & afflictam reparauerit, & quieti suæ reddiderit ac splendori. Litteræ TNRB. mihi adhuc non lucent.

CONCORDIA TRIVM AVGVSTORVM. Sedet Roma, Noua vt puto, simili prorsus scemate, vt in Valentiniano iuniore Tab. præcedenti. Denotat autem Concordiam inter iam dictum Valentinianum, Gratianum, & ipsum Theodosium, qui satis consentientibus animis per quinque ferè annos Imperium vniuersum gubernauerunt, donec Gratiani primùm obitus funiculi huius triplicis vnum vinculum abrupit. Est autem numisma & inscriptio singulis æquè attributa, & communis.

CONCORDIA TRIVM AVGVSTORVM. H. Sedet Roma eodem ferè habitu, clypeum votiuum, VOTIS QVINQVENNALIBVS, ET MVLTIS DECENNALIBVS inscriptum super quercu, velut in Trophæum tenens. Eôdem respicit, quod paribus auspiciis, votisque, victorias de hostibus expectent. De litteris, CONOB. suprà diximus.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Stat Theodosius, signo & charactere CHRISTI in labaro dextram armatus, sinistrâ victoriolam ferens, supplantato infrà & calcato captiuo. S M. litteras putem significare SACRAM MONETAM. Tres isti Augusti sunt Gratianus, Valentinianus iunior, & Theodosius: nisi ad Victoriam de Eugenio tyranno partam referre malimus, quem, vt infrà Tab. seq. barbatum, supplantare videtur: tunc enim censeam Theodosium, hîc intelligi cum vtroq; filio, Arcadio scilicet & Honorio: quos è Constan-

Constantinopoli in Occidentem contra Eugenium mouens iam ante Cæsarum titulo honorauerat, & solemniter inaugurauerat.

VICTORIA AVGVSTORVM. Effigies has esse putem Valentiniani iunioris & Theodosij post mortem Gratiani, de Maximo Tyranno Victoriam Angelorum tutelæ adscribentium: etsi de Diademate seu aureolâ, mihi non liqueat, vt suprà dixi.

DOMINVS NOSTER THEODOSIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Theodosius ad bellum armatus casside gemmatâ, scuto, thorace, & hastâ instructus.

IMPERATOR XXXXII. CONSVL XVII. PATER PATRIÆ. Sedet Roma, Noua (vt puto propter proram nauis, & stellam, Orientalis Imperij insigne) globum & in eo Crucem exaltatam ferens. Significat domitum Virtute Crucis CHRISTI terrarum Orbem. Credimus signatum numisma Constantinopoli post Victoriam de Eugenio adeptam, solâ fiduciâ in virtute Crucis, quam labarum exercitui prælatum referebat. *Erat enim*, vt ait Card. Baronius Tom. IIII. *totius virtus exercitus Theodosij signum Crucis, quam expauescerent aduersariæ potestates: erat Crux ei munimen & ornamentum effulgens in armis atque militaribus signis: quâ & suam ipsius munire frontem magis, quàm coronâ ac diademate ornare caput, eidem curæ erat; cùm depositis illis, hanc, vt Christianorum Principum regale sertum, summum capitis ornamentum ac tegumentum superinduere t.* Prudentius item aduersus Symmachum agens, ipsum Theodosium Romam his versibus compellantem inducit: qui appositè huic numo Româ insignito quadrant;

Agnoscas, Regina, libens mea signa necesse est,
In quibus effigies CRVCIS *aut gemmata refulget,*
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Porrò hîc primùm sub Theodosio religiosissimo Principe obseruamus hoc salutaris Crucis erectæ, Orbi impositæ terrarum symbolum: eumque velut Cruce domitum, & Domini crucifixi gloriæ succumbentem: quod postea, & etiámnunc Christiani Imperatores pro insignibus legitimi sub Christo Domino & capite, Imperij & Monarchiæ terrarum vsurpare instituerunt, per Crucem & CHRISTVM Orbi redempto se imperare professi. Hæc autem erecta Crux Orbi superimposita repræsentare videtur mysterium & memoriam CHRISTI in Crucem acti: quando terræ globus sub Creatoris sui patientis & morientis pondere ingemiscens, & ferendo se impatrem testatus, ingenti terræmotu contremuit, & petræ eius sciſſæ sunt, vt Euangelistæ testantur. Et sic orbis nunc à Cruce velut triumphatus veritatem Prophetiæ CHRISTI confirmauit, dicentis apud Ioannem cap. XII. *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia* (quæ per totum Orbem hîc designari possunt) *traham ad me ipsum.*

VOTIS TRICENNALIBVS, MVLTIPLICATIS QVADRAGENALIBVS. Idem emblema cum præcedente, nisi quòd hîc multiplicatio votorum pro salute Principis & Imperij factorum, sit adscripta.

TA-

TABVLA LX.

EVGENII *Tyranni*, ARCADII *&* HONORII *Imperatorum*, ÆLIÆQVE FLACCILLÆ AVGVSTÆ *continet effigies.*

DOMINVS NOSTER EVGENIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Vultus Eugenij obscuro loco nati, quem Arbogastes Valentiniano per dolum interfecto Imperatorem dici ab exercitu procurauit. Qui primùm Grammaticus, seu Rhetoricam professus, deinde relictis scholis in aulam insinuatus, & ibidem Authographus, ob eloquentiam in honore habitus, Rhitomero Duci familiaritate coniunctus fuit, & per eius commendationem Arbogasti carus. Sub Christiani nomine & specie Idolorum cultor, & diuinationibus deditus ac sibi Victoriam spondens, Gentilia sacra restituit. Contra eum Theodosius Constantinopoli mouens, & in Alpium iugis cum eo congressus, primùm auxiliis barbarorum, qui Theodosio militabant, terga dantibus, & quasi fugatis, postridie sub auroram pugnam renouauit, solâ fiduciâ in Dei ope constitutâ, & præsidio S. Crucis munitus splendidissimam de hoste infinitâ multitudine superiore, victoriam reportauit, Apostolis etiam, quos per visum agnouerat sibi auxilium promittentes, Ioanne Euangelistâ & Philippo, pro eo in hostes bellantibus, quo in prælio, quod ab Orosio lib. VII. describitur, mox Eugenius à suis captus, & ad Theodosium adductus ad ripam annis Frigidi Imperio, & vitâ exutus est.

VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens & lauream ac palmam velut apportans. Numos ante Theodosij in illum expeditionem cusus videtur, vt se non rebellem, sed velut consortem Imperij declarârit, & Victoriarum de hostibus Reipublicæ socium ac participem.

VICTORIA AVGVSTORVM. Similis argumenti numus, in quo quasi consors Imperij Eugenius in subsellio sedet, Orbem vnà tenens, emblemate iam ante ab Imperatoribus legitimis vsurpato.

ÆLIA FLACCILLA AVGVSTA. Hæc prima Theodosij vxor fuit religiosissima matrona, cuius pietas, castitas, & in egenos beneficentia valdè prædicatur ab historicis. Eius illa citatur à Nicephoro memoranda sententia: *Imperio conuenit, vt aurum id largiatur, ego verò manuum mearum opus pro Imperio ipso ei, qui id semel contulit, offero.* Mater fuit Arcadij & Honorij Impp.

SALVS REIPVBLICÆ. Sedet Victoria, salutare CHRISTI nomen & tesseram clypeo votiuo inscribens, palmæ arbori innixo. Præfert Flaccilla hoc dicto, non aliâ, nisi CHRISTI Domini virtute, & Crucis eius potentiâ Salutem Reipub. niti, nec aliâ ope nisi diuinâ victorias de hostibus, palmasque adeptas, aut sperandas.

DOMINVS NOSTER ARCADIVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Vultus Flauij Arcadij, qui Theodosij filius ex Flaccillâ decem annis major Honorio, anno ætatis VIII. à Patre Augustus appellatus, S. Arsenio Diacono instituendus traditus, qui etiam susceptor eius in baptismo fuit. Ei pater moriens,

moriens Orientis Imperium obtinenti, & iam vigesimum annum agenti Rufinum tutorem dedit: qui spe potiundi Imperij Alaricum Gothorum regem contra Arcadium sollicitauit: sed proditione detectâ mox à militibus interfectus est. Imperauit Constantinopoli per annos ferè tredecim, ibique defunctus est, relicto filio Theodosio iuniore successore, & filiabus quatuor.

VICTORIA AVGVSTORVM TRIVM. Stat Imperator Crucis trophæum gestans & victoriam, atq; hostium sub pedibus prostratum calcans, vt suprà Tab. præcedenti Theodosium vidimus. Numisma ipsi cum patre & Honorio fratre commune, de Eugenio, vt arbitror, tyranno triumphantibus. MD. an significet MONETA DOMINI, an MEDIOLANVM, quo loco Theodosius consueuit, & mortuus est, an quid aliud, adhuc quæro.

DOMINVS NOSTER ARCADIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Arcadij armati, eodem scemate quo Tab. præced. habuimus patrem eius Theodosium. Videtur in clypeo ipse expressus ex equo hostem prostratum conficiens.

NOVA SPES REIPVBLICÆ. Sedet Victoria super spoliis hostium, clypeo votiuo Vota Vicenalia, & Tricenalia inscribens. Designat in iuuene Principe Arcadio Rempublicam spem optimam collocasse, & ab Imperij hostibus ac Tyrannis Victorias, atque felicitatem & sui status tranquillitatem eo duce, secundum patrem, votis conceptis, expectare. Idem est, quod Virgilius alibi dixit:

——*Magnæ spes altera Romæ.*

DOMI-

DOMINVS NOSTER HONORIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Flauius est Honorius Theodosij alter filius, cui à patre traditum fuit Imperium Occidentis, tutore dato Stilicone Vandalo, cuius & filiam duxit Mariam primùm, deinde & alteram Thermantiam, quæ tamen vtraque, subitâ morte ante consummatum matrimonium virgo sublata fuit. Ipse Romæ sedem Imperij fixit, & Gildonem Africæ à patre præfectum, & sibi illud Regnum vsurpantem fratris Mascozelis ductu superauit, & ex fugâ retractum interfecit: sed & ipsum mox Mascozelem rebellantem Bonifacij auxilio & operâ deuicit. Stiliconem ipsum potentiâ & auctoritate, quâ apud exercitum pollebat, filio suo regnum parare meditantem, & ad opprimendum Honorium Sueuos, Vandalos, & Alemannos in eum sollicitantem Hunnorum & Gothorum ope, & operâ, ductu Vldini & Sari repressit, hostibus commeatu exclusis, & inediâ confectis, Radagasto etiam rege eorum capto & strangulato. Cui Alaricus mox suffectus, cùm ab Honorio Gallias ad inhabitandum impetrasset, & à Stilicone fraude petitus fuisset, irâ motus Italiam inuasit eamque, & Vrbem ipsam Romam diripuit. Mox eùm Honorius Constantium Magistrum militiæ, virum animo, atque rerum gerendarum dexteritate nobilem, Imperij consortem fecisset, titulo Nobilissimi Cæsaris collato, & sorore Placidiâ in vxorem ei collocatâ, per eum Tyrannos variis locis emergentes Gratianum in Britanniâ, Constantinum in Galliâ, & Barbaros Hispaniam, dictasque Prouincias infestantes deuicit. Ludos seculares Romæ edidit decimo Imperij sui anno, remotis Idolorum sacrificiis & ritibus. Postea aquâ intercute absumptus est, anno Imperij XXXII. ætatis LI. nullâ sobole superstite relictâ.

VICTO-



HD Collection

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Stat Honorius eodem filo & ſcemate, quo ſuprà frater Arcadius hoſtem ſupplantans: numo paris ſymboli & formæ ei cum patre & fratre communi. R. V. fortè, REBELLIBVS VICTIS, vel ROMA VICTRIX, vel ROMA VETVS. Referre placet ad Victoriam de Eugenio Tyranno, & Reipublicæ perduellibus.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Simile planè numiſma fratri antè cuſum, hac Tabulâ, cum litteris M D.

TABVLA LXI.

PRISCI ATTALI, & IOANNIS *Tyrannorum*, & VALENTINIANI III. & MARCIANI *Imperatorum*.

PRISCVS ATTALVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Priſci Attali, qui in Hiſpaniam deportatus cum Gothis è naui deſcendens Imperio arrepto rebellionem molitus eſt, ſed mox captus, & ad Conſtantium Comitem deductus, deinde Honorio exhibitus manu truncatâ viuere permiſſus, ſtultitiæ pænas luit.

INVICTA ROMA ÆTERNA. Sedet Roma galeata, nudo medio pectore, quâ formâ ſuprà Virtus militaris, haſtam & Victoriolam tenens. De ROMA, & eius epitheto, ÆTERNÆ, dictum ſuprà. Littera R. ipſam ROMAM, ſiue hanc eius ſtatuam deſignare inſuper videtur, & ſtellula ad diſcrimẽ poſita, vt hîc accipiamus Nouam Romam ſiue Conſtantinopolim,

lim, quia alter etiam Attali numus ab Occone adfertur cum inſcriptione, ROMA NOVA.

DOMINVS NOSTER IOHANNES PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Ioannes iſte Tyrannus Rauennæ, viuo Theodoſio Imperium arripuit, & cùm ad Theodoſium, vt eum approbaret, legatos miſiſſet, ipſe, iis in carcerem coniectis, Magiſtrum militum Artaburium contra Ioannem miſit. Sed Aquileiâ nauigans Artaburius vento aduerſante in manus tyranni incidit: quam patris captiuitatem filius Aſpar, Rauennâ ex improuiſo occupatâ & ſpoliatâ atque incensâ vltus eſt. Tandem captus tyrannus, dextraque abſciſsâ per ludibrium in aſino traductus & iugulatus eſt, cum annis quinque præfuiſſet, vir alioquin ingenio non improbo, neque auri aut vindictæ cupido. Alij tradunt Romæ eum Imperium tenuiſſe, ſed à Valentiniano tertio oppreſſum Ioannem.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Videtur eâdem numiſmatis formâ vti voluiſſe, quâ ſuprà Theodoſius cum filiis: vt & ſe inter participes, atque conſortes Imperij & Victoriarum numeraret.

DOMINVS NOSTER VALENTINIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Fuit iſte Flauius Placidius Valentinianus filius Conſtantij Cæſaris & Placidiæ Theodoſij filiæ, à Theodoſio Iuniore (cuius hîc in ſerie effigiem deſideramus, ex Arcadio & Eudoxiâ nati, & Conſtantinopoli per XLVIII. ætatis & regni annos poſt Arcadium Imperio potiti) cùm de morte Honorij patrui inaudiſſet, in Cæſarem electus, & Romam miſſus Auguſtus, Eudoxiâ filiâ Theodoſij in vxorem acceptâ. Ipſe cum Genſerico Vandalorum rege pacem ſanxit, parte

te Africæ ei conceſsâ. Aduerſus Attilam Hunnorum regem in campis Catalaunicis acerrimo prælio conflixit, cæſis ad centum quinquaginta hoſtium millibus victoriâ non incruentâ potitus, ductu Ætij, quem poſt ob gloriam militarem affectatæ tyrannidis ſuſpicione laborantem, ſucceſſus eius metuens Maximi viri potentiſſimi, & æmuli delatione, occidi iuſſit: à cuius poſt militibus, Thraſilâ duce & percuſſore, ipſe Valentinianus in campo Martio confoſſus eſt XV. Kal. April. quo die Vrbs Roma iterum à Vandalis capta eſt. Præfuit Occidentis Imperio annis triginta. Poſt quem illud Imperium variè diſtractum, & per partes à variis Ducibus & populis occupatum fuit, Francis, Scotis, Anglis, Hunnis, Vandalis, aliiſque.

Sequitur numiſma eius ſine inſcriptione, habens Crucis imaginem in coronâ laureâ deſcriptam, ſiue eâ coronatam. Trophæum eſt ſaluificæ Crucis, velut Victoriarum omnium auctoris, & præſidis. Symbolum declarans Chriſtianæ religionis cultum de Gentilium impietate & idololatriâ velut triumphum duxiſſe. Alludit fortè hoc Emblemate Valentinianus, ad hiſtoriam, quam in Iuliani Apoſtatæ geſtis Sozomenus, & Nicephorus tradunt, & Gregorius Nazianzenus refert Orat. 1. in Iulianum his verbis: *Ferunt, cum ipſe* (Iulianus) *ſacris operam daret, exta animalium coronatum Crucem edidiſſe. Quæ res alios quidem horrore, ſummâque ſollicitudine & anxietate affecit, eoque adduxit, vt potentiam noſtram perſentiſcerent: at impietatis magiſtro animum videlicet addidit, tamquam circumſcriptis, atque vndique concluſi eſſemus: ſic enim circulum & Crucem ex tempore interpretatus eſt.* Litteras COMOB. interpretantur: CONSTANTINOPOLI MONETA OBSIGNATA, vt ſuprà diximus.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. R. V. Stat Valentinianus haſtâ, in cuius ſummitate Crux eſt, loco labari, armatus, ſiniſtrâ Victoriam geſtans, dextroque pede caput ingentis & tortuoſi colubri proterens & cõculcans. Deſignat virtute & præſidio Crucis CHRISTI draconem illum, qui in hac ſerpentis ſpecie humanum genus ſuperauerat, iam penitus eſſe proſtratum, & ſub pedibus Chriſtianorum iacere. Hieroglyphicum eſt ſuperati hoſtis generis humani. Ad quod alludere videtur auctor Hiſtoriæ Paſſionis Sanctæ Cæciliæ, & ſociorum: *Iacet*, inquit, *nunc ſub Sanctorum pedibus Inimicus, & dans mugitus per lunaticos & energumenos clamat, & pœnas incendij quas patitur indicat*. Reſpicit Valentinianus aduerſum Pſalmiſtæ Pſalm. XC. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: quem & Heraclius Numo inſcripſit.

Sequitur idem emblema, parùm admodum differens à præcedenti.

DOMINVS NOSTER MARCIANVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Valerij Marciani, qui militaribus functionibus, prudentiâ & integritate vitæ clarus, Pulcheriæ Theodoſij ſororis ſtudio atque operâ admodum ſenex ad Imperium promotus eſt. Imminutum annorum aliquot lapſu Orientis Imperium prudentiâ & conſilio mirificè reparauit: Cum Parthis & Vandalis fœdus percuſſit, Attilæ minas compeſcuit. Nomades & Blemios Æthiopiâ dilapſos per Alexandriæ Procuratorem domuit. Arma numquam niſi prouocatus mouit, hanc ſæpè in ore habens ſententiam: *Dum in pace eſſe poſſumus, arma non induamus*. Anno Imperij ſexto, & menſe

menſe ſexto obiit, conſpiratione Aſparis veneno, vt ſuſpicio fuit, extinctus.

VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens & ſertum laureum dextrâ, ſiniſtrâ globum Cruce impoſitâ ornatum præferens, loco victoriolæ, quam præcedentes Principes ei impoſitam ferebant. Deſignat Chriſtianus Princeps PER CRVCEM VICTORIAS SPERANDAS, per Crucem Orbem domitum, & ſubiugatum, exemplo Magni Theodoſij qui ſup. Tab. LIX. ſimili emblemate primùm vſus. Eſt autem hæc Victoria Marciani de Vandalis, & Attilâ hunnorum rege, cuius minas & inſolentiam ipſe compeſcuit. Globum autem (orbis terrarum ſub Imperio conſtituti ſymbolum) eumque Crucis trophæo inſignitum ſiniſtrâ ferre, dextrâ autem gladium, Imperatores Chriſtiani deinceps in ſolemnibus inaugurationis conſueuerunt, vt Imperium Chriſti & ſubditos ei populos, in defenſionem ſanctæ matris Eccleſiæ, & in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum armis tueri meminerint, omnemque ſuam potentiam Regi Regum immortali Chriſto crucifixo acceptam ferre, cuius per obedientiam vſque ad mortem, mortem autem Crucis, exaltati in manu ſunt omnes fines terræ, & omnium iura regnorum.

TABVLA LXII.

LEONIS *Imp.* AVGVSTVLI, SEVERI, & IVLII NEPOTIS *Tyrannorum*, & ZENONIS ISAVRICI.

DOMINVS NOSTER LEO PERPETVVS AVGVSTVS. Effigies Flauij Valerij Leonis, qui natione Græcus, per factionem Aſparis, qui Marcianum interfecerat, ex tribuno militum Imperator creatus eſt. Rexit Orientale Imperium per annos XVII. Leonem nepotem ex filiâ Ariadnâ, & Zenone ſucceſſorem ſibi declarauit. Traditur multis virtutibus claruiſſe, & præcipuè miſericordiæ operibus, illudque in ore ſæpe habuiſſe benefici animi ſcitum: *Quemadmodum ſol cunctis, quæ illuſtrat, nonnihil impertit caloris, ſic Princeps ſuâ debet eos dignari miſericordiâ, quos contuetur.* Fuit autem ſub eo, anno ſecundo, grauiſſimus terræmotus Antiochiæ, & quatriduanum incendium Conſtantinopoli, quo tota ferè ciuitas conflagrauit.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Victoria ſtans, & prægrandem Crucem erectam tenens, gemmis, vt appareret, condecoratam, & in ſummo, velut titulo CHRISTI, & paulò infrà X litterâ tranſuerſâ inſignem. Pius Imperator gemmis & margaritis auroque Crucem decorandam cenſuit, cuius virtuti & præſidio acceptâ fert de hoſtibus Victoriam. Citat Adolphus Occo aureum Ortelij numiſma, in quo hæc Leonis inſcriptio Græca, ſed Latinis litteris exarata: LEON EN CHO BASILEVS ROMEON. Id eſt: *Leo in* CHRISTO *Rex Romanorum.* Regi Regum CHRISTO Domino ſceptri honorem

norem deferre voluit, *per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*, vt ait Sapiens Prouerb. VIII. Stella Orientis Imperium præfert, PERPETVI titulus hîc primùm vsurpari cœptus ſtabilem deſignare videtur, & perſeueraturam Imperij potentiam.

DOMINVS NOSTER AVGVSTVLVS PERPETVVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Flauij Momyllij Auguſtuli, qui puer admodum Rauennatium ſtudio ab Oreſte patre ad Imperium productus eſt, ſed vndecimo menſe arreptæ dignitatis, patre eius ab Odoacre Gothorum rege interfecto, ipſe purpuram abiecit, & in exilium pulſus eſt.

VRBS ROMA. Inſidet ſpoliis Roma Vetus, filo corporis & ornatu ferè quo ſuprà aliquoties, dextram mamillam exſertam gerens. Gloriatur Imperio Occidentis, in quod per factionem intruſus erat.

DOMINVS NOSTER LIBIVS SEVERVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Flauius Libius Seuerus, qui & Seuerianus dictus natione Lucanus, apud Rauennam Imperator & Auguſtus ſalutatus, Alanorum regem Biorgum ſuperauit. Poſt tertium Imperij arrepti annum Romæ obiit, veneno, vt nonnulli tradunt, extinctus. Hiſtorici eum Vibium vocant.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Seuerus Cruce armatus, & ſerpentis caput dextro pede conterens: eodem emblematis hieroglyphico & formâ, quâ ſuprà Tab. præced. vſus fuerat Valentinianus III. quo de ibi diximus. R. M. fortè, RAVENNATIVM MONETA, vel ROMANA.

DOMI-

DOMINVS NOSTER IVLIVS NEPOS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Flauius Iulius Nepos Glycerio, (qui Senator Romæ inuitus assumere Imperij insignia coactus fuerat) expulso, & Salonis Dalmatiæ Vrbe ad Episcopatum postea prouecto, successit: sed Augustuli factionem timens in Dalmatiam fugit, Saloniſque cæsus est.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Stat Angelus Victoriæ specie, Crucem ingentem auro gemmisq; ornatam dextrâ tenens. Habet supra tabellam, quasi titulum CHRISTI Domini referentem. Omnes isti deinceps siue legitimi, siue intrusi Imperatores Crucis signo gloriantur, eiusque virtuti victorias suas adscribunt. De his gemmatis Crucibus velut trophæis Prudentius, Romam in personâ CHRISTI compellans, contra Symmachum lib. 1. sic ait:

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est:
In quibus effigies Crucis aut gemmata *refulget,*
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Sed & D. Chrysostomus (citante Card. Baronio Annal. tom. 1111.) refert: *Solitam fuisse effigiari Crucem ex auro, margaritis, ac gemmis: vt scirent omnes, Crucem sontium olim suppliciis infamatam, ipso visu horrendam, ore nefandam, & horrore cauendam, ex quo eam pro salute hominum* CHRISTVS *Redemptor noster sponte subiit, iam fuisse redditam fulgentem, decoram, atque gloriosam.* Homil. de ador. Cruc. de litteris R. V. suprà coniecturam nostram posuimus.

DOMINVS NOSTER ZENO PERPETVVS AVGVSTVS. Effigies Flauij Zenonis, ex Isauriâ Ciliciæ patriâ

Isaurici

Iſaurici cognomen ſortiti : Fuit à Leone iuniore filio ſuo, Imperij in ſe collati inſignia patri, nouo pietatis exemplo, cedente, coronatus. Vultu pariter atque ingenio turpi, moribuſque ſolutis. Vt Tyrannus imperauit fratris Cononis operâ in cædibus & ſanguine graſſatus. Theodoricum Oſtrogothorum regem contra Odoacrem in Italiam immiſit. Baſilici factioni pòſt cedens, in Iſauriam, priuatam vitam acturus, cum vxore conceſſit. Sed Baſiliſci tyrannidem populus non ferens Zenonem reuocauit, & regno reſtituit. Ipſe Baſiliſcum cum filio captum relegauit in Cappadociam, & poſtea interfecit, vt & Leontium qui Orientem inuaſerat. Cum annis XVII. regnaſſet, fraude vxoris occubuit, quæ eum ebrium ſepulchro inferri iuſſit, quod magno lapide obſtrui mandauit, vbi nemine ad clamores eius opem ferente, mori coactus eſt.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM NOSTRORVM. Stat Angelus cum trophæo Crucis gemmatæ, vt ſuprà in Nepote.

TABVLA LXIII.

ANASTASII, IVSTINI, & IVSTINIANI *Imppp.*

DOMINVS NOSTER ANASTASIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Flauius Anaſtaſius, Dicorus dictus à diſcoloribus oculorum pupillis, ſtudio Ariadnes Auguſtæ, quæ Leonem maritum oppreſſerat, Imperator factus eam vxorem duxit, ac ipſo die nuptiarum, donatiui loco,

tributum chrysargyrum omnibus remisit. Isauros domuit, varios Imperij vsurpatores superauit & supplicio affecit. Primùm Orthodoxus Christianus, post Eutychianæ hæresi addictus, quaternitatem pro Trinitate adorandam præcipiens. Obiit fulmine, vt fama est, extinctus, anno Imperij XXVII. ætatis LXXXVIII.

VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria adcurrens cum palmâ, & laureâ coronâ. De variis est hostibus, quos suprà recensuimus.

VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens & respectans, globum terræ Cruce insignitum portans, stellulâ infrà positâ: hoc est, Oriente sub præsidio & tegmine Crucis acquiescente.

DOMINVS NOSTER ANASTASIVS PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Anastasij armati, & thorace, scuto, galeâ cristatâ, iaculoque seu hastâ instructi, ad imitationẽ Theodosij & successorum, qui bellicæ virtutis laudem hoc scemate captauerunt.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. AR. Stat Angelus seu Victoria filo angeli Crucem gemmatam sustinens, qualem Tab. præcedenti habuimus in Iulio Nepote, & Zenone. Eiusdem argumenti & sensus est numisma AR. quid signet, an fortè *Ariminum*, vt monetæ huius officinam, non definiam.

DOMI-

DOMINVS NOSTER IVSTINVS PERPETVVS AVGVSTVS. Flauius Anicius Iustinus è Thraciâ obscuro loco natus, à teneris bubulcus & subulcus, inde miles, post princeps ordinis: tandemque per dolum suffragia, à militibus Theocritiani in fauorem nundinata in se vertens, electus est, & à Senatu approbatus, vt vir militaris labantem Rempubl. restitueret. Theocritianum, Amantium, & Andream insidiatores suos sustulit. Orthodoxæ religionis assertor Arrianos Orientis finibus eiecit, Chalcedonense Concilium promouit ac defendit, Catholicæ & Orthodoxæ fidei professores Episcopos ab Anastasio eiectus restituit. Nouem annis laudabiliter cùm præfuisset, decessit, adoptato paulò antè & successore sibi declarato Iustiniano sororis suæ filio.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. I. Victoria adcurrens, vt suprà in Anastasio. I. littera fortè designat inter tres Augustos hoc numisma Iustini peculiare.

VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens & respectans, vt suprà etiam in Anastasio.

DOMINVS NOSTER IVSTINIANVS PERPETVVS AVGVSTVS. Effigies est Flauij Anicij Iustiniani, Legum Romanarum collectione & concinnatione notissimi: qui accepto ab auunculo Imperio anno XLIV. ætatis, animum ad illud restituendum stabiliendumque adiecit. Orientem pacauit, Persas ex Mediâ ac Syriâ prædas agẽtes per Belisarium repressit, & trans Euphratem remouit. Romam à Gothorum manu vindicauit, Africamque, pulsis Vandalis, Imperio asse-

 ruit,

ruit, deque Gelimero eorum Rege capto Constantinopoli triumphauit. Per Narsetem Ducem, Totilam Gothorum regem, Româ captâ & spoliatâ in Italia regnantem interfecit, Gothorumque nomen in Italiâ deleuit. Quibus ex victoriis inter cæteros titulos etiam *Gothici, Vandalici, & Africani* insignitus fuit. Hisce victoriis partis, & pace Imperij stabilitâ Legum Romanarum confusam seriem in vnum corpus redegit, & distinxit, & Iurisprudentiam Romanam informem antè, perfecit: Eo fine, vt ipse asserit in Procem. Instit. *Vt vtrumque tempus & bellorum & pacis rectè posset gubernari, & Princeps Romanus non solùm in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam Iuris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus.* Templum SOPHIÆ SANCTÆ titulo, augustissimum Constantinopoli condidit. Iustitiâ & integritate Princeps insignis habitus, sed de auaritiâ notatus, & quod Eutychianæ hæresi fuerit addictior. Decessit senio confectus, & mente de statu deturbatâ, anno ætatis LXXXIII. Imperij XXXIX.

VICTORIA TRIVM AVGVSTORVM. Stat specie Victoriæ Angelus ingentem crucem gemmatam sustentans, exemplo à prædecessoribus suprà petito, & sibi cum Occidentis Imperij consortibus communi.

TA-



64

TABVLA LXIV. & vltima.

Continet Effigies IVSTINI IVNIORIS, CONSTANTINI, MAVRITII, FOCÆ & HERACLII.

DOMINVS NOSTER IVSTINVS PERPETVVS AVGVSTVS. Iuſtinus iunior Iuſtiniani ex filo nepos, ab auo ad gubernacula rerum admotus, dexteritate agendi & magnanimitate commendabilis, ſub initia militem & ciues liberalitate demeruit: Sed poſtea ad pecuniam colligendam attentior, etiam cum periculo diuitum, in quorum facultates inhiabat, Pelagianæque hæreſi addictus Orthodoxos afflixit, Perſicum fœdus diſſoluit, quorum cùm arma in ſe conuertiſſet, illiſque magnis copiis Romanum ſolum depopulati eſſent, in mœrorem & ex eo in amentiam præ dolore animi actus, pedumque pòſt doloribus tortus ex hac vitâ migrauit, anno Imperij XIII. declarato ſucceſſore Tiberio Conſtantino.

VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens ſertum laureum & palmæ ramum ferens, vt ſuprà ſæpiùs. Litteræ MAR. compendioſo ductu, fortè MARIÆ *Virginis Deiparæ* honorem & nomen prædicant.

Sequitur P. Orbi inſiſtens, tranſuersâ lineâ intercidente, inter duas ſtellas, & coronâ laureâ circumdante. Hieroglyphicum eſt nominis CHRISTI, in quo, ingenioſo ductu, littera Græca X, tranſuerſum Græcum pariter P, velut vno

 characte-

charactere format, & Crucem insuper ipsam exprimit: significans Orbem terrarum, ab Oriente ad Occidentem (quod per stellas à dextris & siniſtris appositas intelligimus) à Christo per Crucem subactum: eiusque Nomen gloriosum de hostibus tam internis quàm externis triumphum duxisse, (qui per lauream triumphalem exprimitur) tum & gloriam hanc Domini sine fine duraturam, quod per coronam circularem, cuius figura initij & finis expers est, designatur.

DOMINVS NOSTER TIBERIVS CONSTANTINVS, PIVS, FELIX, AVGVSTVS. Effigies Tiberij Constantini, qui Thrax origine, sed iustitiâ, prudentiâ, liberalitate, aliisque dotibus Imperio dignis illustris, à Iustino viuo in consortium Imperij adscitus, ei successit. In pauperum eleëmosynas profusus, quantò plus piè sparsit, tantò plus consecutus est. Nam & Iustini & Narsetis thesauros ingentes reconditos reperit & detexit. Magnâ de Persis victoriâ potitus est, captiuosque omnes Constantinopolim abductos vestibus magnificè exornatos in patriam remisit: quâ benignitate magnam sibi laudem ac beneuolentiam conciliauit. Cum Longobardis Romam diu obsidentibus pacem fecit. Post grauissima bella gesta in morbum incidens, Mauritium generum adoptauit, præsenteque Patriarchâ, & Senatu Imperium ei tradidit, æquitatem ac Iustitiam commendans, nec ita multò post naturæ concessit, anno Imperij VII.

VICTORIA AVGVSTORVM TRIVM. A. Stat Angelus siue Victoria, quo suprà filo, Crucem gemmatam sustentans. Emblema ei cum prædecessoribus & consortibus commune.

VICTORIA AVGVSTORVM TRIVM. O. Stat in gradu stabili Angelus Victor, dextrâ manu baculum gestans, siue Episcopale pedum, in cuius summo est hieroglyphicus character CHRISTI, & Crucis eius: in siniſtrâ fert orbem terrarum Crucis signo subiectum. A quâ ingeniosâ formâ, simul CHRISTI nomen, & victoriam Crucis in baculo exprimente Episcopalis dignitatis insigne sceptrũ figuram traxit: quod etiámnum ad Pastorale munus designandum (quo ex Christi verbo, *Pasce oues meas*, summo in terris Pastori CHRISTI Vicario Pontifici Romano, velut optiones accedunt, & cooperantur) in solemni inauguratione ipsis traditur. Neque enim à litui Romani incuruâ formâ, quod nõnulli autumant, id deriuari potest, quòd à Gentilium ritibus sacri Pontifices, vt maximè abhorrerent: neque ab opilonis baculo, quo ipse supernè parum inflexo pecora aberrãtia coërcet, quamquam allegoria nominis & symboli non aliena sit; sed potiùs à ligno Crucis CHRISTI. Ad quod & Psalmista alludere, aut prophetico spiritu respicere videtur, dum Psalmo XXII. præfatus, quod Dominus regat eum, & nihil ei deerit, quod in loco pascuæ ab eo collocatus sit, mox addit: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Cuius & Crucis CHRISTI, ipsius Dauidis baculus, in quo contra Goliath præualuit, typus & symbolum fuerat. Accedit huc, quod Cardinalis Baronius tomo Annal. III. Epitaphium Christiani pueri producat, cuius in marmoreâ tabulâ inscriptioni idem character hieroglyphicus in hastâ erectus expressus est, quam huiusce modi omnino formæ, imago togata, seu potiùs sacrâ induta veste, ibidem insculpta dexterâ sustentat. Putem hoc scemate Tiberium gratitudinem insigniis Patriarchæ Ioannis detulisse, à cuius manu Imperiale Diadema capiti eius impositum fuerat: simulque ostendere voluisse CHRISTI auspiciis, Angelorumque

gelorumque ministerio Victorias omnes ex hoste sperandas.

DOMINVS NOSTER MAVRITIVS PERPETVVS, AVGVSTVS. Flauius Tiberius Mauritius gente Cappadox, ex Notario, ob rei militaris peritiam factus excubitorum Tiberij Præfectus: pòst gener ascitus, ab eoque adoptatus, & in Imperio successor designatus. Sub initia Persas per Legatos fudit, sed pacem deinde cum ipsis firmauit: Scythas Mæsiâ expulit: Longobardos in Italiâ compescuit, & Hunnos Pannoniis eiecit. Victoriis clarus in militum suorum odium incidit propter auaritiam: Cùm & pecuniæ coaceruandæ studio, rapinis & cædibus indulgeret, & stipendiis militem defraudaret. Quapropter Focâ Scythiæ Præfecto, Duce, eoque in Imperatorem electo, conspiratione militum Scythici præsidij, Chalcedone interfectus est, cum omni prosapiâ: quando & Constantia vxor, Theodosius, Tiberius, & Constantius filij, totidemque filiæ, casu prorsus miserabili & in exemplum raro, sub oculis eius omnes obtruncati fuere. Quo in luctuoso humanæ sortis & miseriæ spectaculo, fortis ac patientis animi, resipiscentisque insigne testimonium dedit, ad singula suorum funera non aliud profatus, quàm: *Iustus es Domine, & recta iudicia tua.* Ipse enim, (vt habet Sigeberti Chronicon ad annum Domini DC. III.) *se cum suis à Focâ interficiendum diuinitùs prædixit: & malorum pœnitens, ea sibi hîc retaliari, per se, & per seruos Dei, instanter exposcit.* Vixit annis LXIII. in Imperio ad XX.

In auersâ numismatis parte est, sine inscriptione character CHRISTI in coronâ laureâ, qualis suprà in Iustino, vbi de eâ diximus.

DOMI-

DOMINVS NOSTER FOCAS PERPETVVS AVGVSTVS. Effigies Flauij Focæ, qui ex Præfecto limitis Scythiæ, ab exercitu, cui præerat, per cædem Mauritij Imperator electus, & Augustus salutatus est. Primò quidem talem se Gentibus ostendit, vt multæ cum illo pacem sancirent. Sed cùm de more ad Chosroen Persarum Regem Legatos mitteret suæ electionis indices, ille indignatus ob Mauritij pridem amici tam crudelem cædem, Focæ bellum intulit: secundoque eius anno, Syriam, Palæstinam, & Phæniciam ei eripuit: Hierosolymam cepit, Crucemque CHRISTI, iam tum à Constantini Magni temporibus deuotè ibi cultam, inter alia luculenta spolia, in Persiam auexit: spoliatisque passim templis & incensis, multisque Christianorum millibus abductis in captiuitatem, cæsis in Vrbe sanctâ, & circa eam, ad nonaginta, millibus, omnia loca cædibus & incendiis depopulatus est. Quæ clades in Iberos, Armenios, Arabes, Dardanos, & Thraciam ac Macedoniam incolentes maximè grassata est. Sed & Germania, Hispania, magnaque Italiæ pars ab eo defecerunt, Ægyptum etiam Saraceni vastauerunt. Ipse autem auaritiæ & rapinis deditus, bello ignauus, adulteriis infamis: & ex Persicæ seruitutis more, ac luxu, per aulicorum manus & consilia secreta cuncta administrans, populum exactionibus & iniustis vexationibus exulcerabat. Quare cùm mores eius omnibus graues inuisique essent; conspiratione in eum per Heraclonam, Heraclium, Priscumque generum suum factâ, primùm Focas in vincula cõiectus est: deinde manibus pedibusque truncatis, genitalibus etiam, in detestationem libidinis eius, præcisis, capiteque resecto in ignem coniectus est. Omnes insuper fratres eius & necessarij, in perfidiæ, & crudelitatis in Mauritium perpetratæ talionem & vindictam, cum eo obtruncati sunt, anno Imperij eius octauo.

VICTORIA AVGVSTORVM. Stant duæ mulieres Crucibus in capite aut fronte insignitæ, baculosque ad modum Crucis manu gestantes, excelsâ Cruce intermediâ super basim collocatâ, eâ ferè formâ & eiuscemodi angulis, quibus in Insignibus Hierosolymitana Vrbs vti solet. Quare fortasse hîc votiuæ Christiani populi, ad loca sancta, & ad Crucem Domini ab Helenâ Hierosolymis adorationi expositam, peregrinationes designantur: quas, antequam Crux à Persis captiua auecta esset, ibi crebras hoc tempore fuisse verisimile est. Adfert & Adolphus Occo alia Focæ Numismata Crucis in hastam erectæ, & globi Cruce insigniti tesseris signata.

DOMINVS NOSTER HERACLIVS PERPETVVS AVGVSTVS. Effigies Flauij Heraclij, qui Heraclonæ Prætoris Africæ filius interfecto Focâ, ab exercitu Imperator acclamatus est. Patre eius ex Africâ magno exercitu per Ægyptum in Asiam mouente, & in itinere defuncto, Persæ Africam inuaserunt. Contra quos Heraclius bellum parans, cùm pro induciis ad se comparandum, Legatos misisset, ab hostibus despectui habitus, & contumeliis exceptus, (responderunt enim non antè se pacem Romanis daturos, quàm Christianam religionem abnegassent) ad indignationem commotus est. Itaque ingenti exercitu in Chosroen ducto, eiusq; Ducibus deuictis in Persidem perrexit, eamque ferro & flammâ depopulatus est: ipsoque Chosroe profligato, & Cruce Domini recuperatâ ingẽtem victoriam reportauit. Post cum Chosroës filio (qui patrem vnà cum fratre, quem pater successorem creauerat interfecit,) pacem firmauit: limitemque vtriusque Imperij flumen Tigrim designauit. Sub eo Saraceni Syriam, Damascum, & Arabiam occupauerunt, & Mahometi, (noui tunc Pseudoprophetæ, qui sub Heraclij Imperio

rio emersit) legem per illa loca propagauerunt. Senex in dæmonum præstigias & aruspicinam propensior, ac Monothelitarum sectæ addictus, cùm & incesto se contaminasset, ductâ fratris sui filiâ; pudendo inguinum morbo, & priapismo correptus occubuit, siue hydrope, vt alij tradunt. Vixit in Imperio annis triginta, obiit Constantinopoli, anno CHRISTI IOC. XL. Post quem deinceps, electione Imperatorum abrogatâ, successio, quasi hæreditariæ Dignitatis in liberos, introduci cœpta est.

VICTORIA AVGVSTORVM. Crux est in basi collocata, ferè, prout Numo præcedenti. Auguror hoc Numisma cusum post vindicatam ab hostili manu Hierosolymam, & Crucem ipsam Domini à Persis recuperatam, eodemque loco, quo Saluator noster eam in Passione suâ ipse portauerat, Heraclij ipsius manibus, celeberrimo interueniente miraculo, restitutam. Cuius in Victoriæ & facti memoriam Exaltationis S. Crucis etiámnum in Ecclesiâ festum celebramus. Et non inconcinnè certè hac ipsâ Crucis formâ & charactere, (additis tantùm per quatuor angulos aliis quatuor cruciculis, fortè quatuor Euangelistarum consonam de CHRISTI Cruce & Passione historiam, eamque per quatuor Orbis partes feliciter propagatam, designantibus) Hierosolyma pro insignibus vsa reperitur: cùm brachia huius figuræ transuersa litteram H, stipes autem erectus & medius I formet, quibus principium nominis eius, & ipsius Domini IHSV exprimitur. Inuenit itaque ipsa argutum emblema, quo & nomen suum compendiosè signet, litteris in campo (vt vocant) rubro aureis, id referentibus: & præter SALVATORIS Nomen, Crucis pariter ipsius formam, cum titulo suo supernè affixo ob oculos ponat: lucentem quidem eam ac rutilantem (quod

auro significatur) & in areâ ruffâ,id est loco ac solo,sanguine Domini resperso, defixam. Cuius adorandæ Crucis pignore, & redemptionis nostræ in eâ consummatæ gloriâ, hæc Vrbs Sanctam se peculiariter, & venerabilem Christianis semper omnibus præbuit. Porrò A litteram ad latus positam Alpha Græcum signare existimo: fuisséque in obsoleto (vt fit) Numismate, ab altero latere consimile, sed quod euanuerit, Ω mega Græcum, per quas (principium ac finem, primum & nouissimum in Alphabeto locum obtinentes) Regis Regum (vt suprà etiam attigimus) IESV CHRISTI sine fine regnantis æternum Imperium (ipso in Apocalypsi sic explicante) ob oculos proponitur. *Ipsi* IESV CHRISTO *Domino nostro* (vt & nos, post finem consideratam, atque visam vanitatem tot sceptrorum humanorum, totq; Imperatorum Illustrium breui transeuntium,breui euanescentium, huic Commentariolo tandem etiam finem faciamus) *cum Patre & Spiritu sancto, vni & æterno* DEO, *Regi sæculorum immortali & inuisibili, honor sit gloria in sæcula sæculorum.* AMEN.

HÆC habui, benigne Lector, quæ de HISTORIA AVGVSTA, hisce Numismatum symbolis & Emblematis quadamtenus collectâ, dicere seu edisserere succincto stylo bonum factum putaui. Quo in Argumento pertractando si, non semel, coniecturam modestè potiùs interposui, quàm vt in omnibus assertionem adhibere præsumpserim;meminisse voles,in gryphis aut ænigmatis (qualia hîc plurima) ingenij etiam laudem habere eum, qui acutè aut appositè coniectet, aut diuinet,non tantùm qui non aberret, fallatur, aut fallat: & sic plausum mihi potiùs, quàm sibilum repones. Quod si & nonnumquam à tuo, aut aliorum sensu, quinimo & à vero aberraui (quod potuisse non excuso,cæcutienti in istis alienæ mentis

mentis & ingenij inuolucris (quæ plerumque auctor sibi plaudens captat, vt ingeniosis diuinationibus locum faciat, & per obscura appareat acutior) veniam & indulgentiam benignè concedes. Scio, non defuerunt alij (quorum hæc arena, siue elegantis studij otiosa sed litterata professio est) nec desunt, aut deerunt, qui præpete iudicij & doctrinæ pennâ, aquilarum instar, sese attollentes, ardua penetrare apti sint, & sublimia scrutari: omniumque obscuriorum hîc locorum velut nubes celeri excussoque alarum remigio transmittere possint. Verùm ego in Antiquitatis venerandæ monumentis, quod fateor, magis hospes,humi reptare non tam contentus, quàm coactus fui: & circumscriptam ingenij aut doctrinæ pusillam facultatem, ceu testudineæ tectorio testulæ inclusam, circumferre. Quinimo istarum, quod ingenuè fateor, acutum cernentium, & in sublime volantium velut aquilarum. Ego *omnium è aliis Haerens*, & ipsorum sæpe pennis, (id est sensu & verbis) meam hanc commentationem librans, nubila, & diffusa huius ætheris Historici spatia emensus sum: & incognita ante, meaque operta diuinationi felicius recluſi. In quo, nec inconcinnè, argutum apiculæ ingenium imitari fas mihi fuit: quæ si longè dissitos, & ignotos alieni cæli aut soli saltus delibare intendit, (fingamus velle) non concinniùs id moliatur, aut feliciùs perficiat, quàm si magnæ alicuius aquilæ pennas amplexa, iisque pedum suorum glutinoso vinculo adhærescens, celerem, alienarum alarum remigio, & felicem cursum absoluat. Neque enim ego huiusce animalculi nomen aut comparationem inconcinnè vsurpem, quando & hæc apicula (tenue dico insectum ingenij & industriæ meæ) ex cultissimis Magnanimi & Excellentissimi nuper Ducis hortis, aureorum & purpureorum florum copiâ & varietate micantibus, laboriosè collecta

hæc velut mella, in alterius non minus generosi Principis & successoris alueari reconditum, eiqúe omnem laboris huius sui fructum dedicatum eat. Quod vt benè vertat ipse, tuque itidem, Lector, vt faueas, rogamus.

* id est, IOANNES HEMELARIVS.

Hæc in primâ huius operis editione, candide Lector, allegorico apis schemate auctor luserat, nomen suum interim illo quod supra insertum est Anagrammate obtexēs, tum amore modestiæ, tum vt securiùs, quasi post tabulas latens, lectorum ceu transeuntium censuras interim ignotus obseruaret, obloquentiumque, vt fit morsus declinaret. Quæ quidem facti ratio cum ipsi hac in parte non infeliciter cesserit ad reliquum tamen qualemcumque laboris huius fructum sequius illi planè euenit: ita vt Virgilianum illud,

Sic vos non vobis. —— ex vero vsurpare potuerit.

Quod autem ad censuras lectorum attinet, cum iam duodecim annis à primâ editione elapsis, liber plausum maiorem, quam vel speraſſet auctor, apud beneuolos Lectores inuenerit; fecit nunc ipse, quod olim (vt paruis magna componamus) nobilis ille Architectus, qui cum Pharon Alexandrinam, inter septem orbis miracula clarum opus, absoluisset, nomenque suum, asscribere à Ptolomæo Philadelpho, octingentorum impenso talentorum sumptu, famam operis sibi vindicante, prohiberetur: nomen idem occulto marmori insculptum, hoc Elogio: ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ, ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. splendido tectorio incrustauit, in eoque Regis titulos foris inscripsit: quæ quidem incrustatio cùm non ita multò, post obitum Regis, collapsa esset, apparuit ingenioſi Architecti nomen, eumque dignâ artis tantæ memoriâ posteritati feliciter

ter commendauit. Collapso enim & nunc seu remoto illo Anagrammatis quasi tectorio, nomen Auctoris ipsum appareat, non tam vt laudem aliquam inde ipse captet, quàm vt vel hoc saltem argumento excusandum se speret, si in errorem suppositi nominis consentiendo, alienæ vltrà auctor fictionis, siue consors deprehendi nolit. Ita hoc factum accipe, bone Lector, & benè vale.

FINIS.

APPROBATIO CENSORIS.

HÆc Veterum Imperatorum Numismata Aurea, à Iulio Cæsare vsque ad Heraclium continuâ serie collecta, & ad archetypos collata, breui insuper descriptione historicâ illustrata, dignissima sunt, quæ post alias similis argumenti lucubrationes prælo committantur. vt in quibus Antiquitatis studiosi reperient quod admirentur: copiam videlicet Numismatum selectissimorum, è locuplete penu depromptam: Imagines etiam Veterum studiosius expressas, quarum intuitu in eorumdem benefacta ferantur: virtutum deniq; & vitiorum dispares successus breui compendio conceptos. Quæ omnia cùm in hunc librum, ceu fasciculum congesta tum sculptor IAC. DE BIE, solerter expresserit, tum collega noster IOAN. HEMELARIVS eruditè fit interpretatus, magno Reip. commodo & ornamento luce donabuntur. Actum Antuerp. in Seminario Episcopali, die X. Decembris, M. DC. XIV.

LAVRENTIVS BEYERLINCK
S. Theolog. Licent. Canon. &
Censor Librorum Antuerp.

5399
4-87224

НБ ОНУ ім. І.І. Мечникова

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова